ORDINANDORUM
INSTITUTIO

Amplissimorum virorum doctrinis munita et adnotationibus illustrata

AUCTORE

CAROLO ANTONIO ANDREINI

PRESBYTERO FLORENTINO

ECCLESIAE S. PETRI AD RIPULAS PLEBANO

AC FLORENTINAE DIOECESIS EXAMINATORE SYNODALI.

FLORENTIAE. MDCCLXXIX.

In Archiepiscopali Typographia.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI BENEVOLO

TYPOGRAPHUS.

QUod studiosi in Clericalem adsciti militiam adolescentes bene multi iamdiu vehementer optaverant, ut nimirum ea omnia, quae a sapientissimo de universa Florentina Ecclesia optime merito FRANCISCO CAIETANO INCONTRI *Archiepiscopo luculente, ac mirifice tradita fuerant in vere aureo libello inscripto* Saggi di Dottrina, d' Erudizione, e di Morale appartenenti alle sacre Ordinazioni, ed agli ufizi, e doveri degli Ordinandi ec. *superioribus annis semel atque iterum ex mea typographia in lucem edito, & a Benedicto XIV. P. M. an.* 1757. *die* 19.

 Mar-

Martii suis litteris commendato, ab aliquo virtute, & doctrina spectatissimo viro in dialogi formam, & ad eam quaestionum, responsionumque rationem, quae in Ordinandorum iuvenum examine adhiberi solet, redacta, atque digesta, faciliore & ad eorum captum aptiore methodo, & ordine latino idiomate explanarentur; hoc tandem Archipraesule ipso amplissimo auctore & imperante, studio ac diligentia egregii ad id selecti doctoris, refectum opus, & absolutum; meisque formis impressum nunc tertio in medium profero, amice lector. Quum enim de communi huiusmodi ecclesiasticae iuventutis desiderio compertum denique habuisset vigilantissimus ille Antistes, qui semper ipsam, gregemque universum suo commissum regimini iuvandi studio incensus, pluribus integra doctrina, caelestique scientia scatentibus scriptis, monitisque saluberrimis erudivit: eodem in dies magis ardore correptus, minorumque Clericorum satis perspectis petitionibus, votisque obsequi cupiens & indulgere,

pro-

provinciam hanc, gravem profecto ac salebrosam, demandare Florentino Presbytero Carolo Antonio Andreinio S. Petri ad Ripulas Plebano, totumque ei onus ultro imponere dignatus est; ipsum praeterea virum verbis gravissimis exhortatus, atque adeo peculiari impellens mandato, ut rem omnem, de qua ipse in praefato suo libello vernaculo sermone disseruerat, uberius pro suo arbitrio ac cumulatius latine exponeret & illustraret.

Nec sane mirum alicui esse debet, quod summo Praesuli ad hoc pro se opus perficiendum Andreinium prae ceteris seligere placuisset; voluit quippe prudentissimus Auctor, ut Sacerdos ille, eximius doctrina vir, qui antea Philosophicis Institutionibus, suisque locupletissimis Commentariis in Geometrica Euclidis Elementa a Guidone Grandi, & in Conicas Apollonii Sectiones ab eodem praestantissimo Matheseos Professore explanatas, per duodenos annos Florentini Seminarii Clericos, qui in spem aluntur Ecclesiae, ceterosque qui

ad

ad ingenii culturam, scientiarumque adeptionem illuc frequentes confluunt, tam laudabiliter erudiverat, ut nemo fere ex iis inventus fuerit, qui non eo magistro multum profecisse fateatur: voluit, inquam, ut idem postea, qui Theologicis quoque disciplinis est maxime exercitatus, & dignus propterea qui Florentinae Dioeceseos Synodalis Examinator designaretur, in hac nova Clericos iuvenes instituendi ratione ipse, licet gravioribus ad proprium sacrum munus spectantibus negociis districtus, operam suam poneret, omnemque curam impenderet. In cuius quidem viri delectu haud sane Praesul sagacissimus deceptus mansit; etenim tale expetitum opus iam feliciter explicitum, atque e sua sententia absolutum satis ille admirari non potuit & commendare; cunctique Theologi Magistri, quorum iudicio recens bic liber subiectus fuit, quum ipsi accurate legendo eum perpendissent, summis illum probatum laudibus extulerunt. Et optimo quidem iure; namque Andreinius scribentis Anti-

tiſtitis, & omnigena eruditione docentis veſtigiis religioſe ſemper inſiſtens, ea tamen, quae ſibi conceſſa fuerat, libertate utens opportune, alia doctrinae, de qua fuſius agebatur, capita in gratiam adoleſcentium contrahere, alia vero ampliare, Sanctorumque Patrum, ac Conciliorum ſubiectis ſententiis adſerere & confirmare, alia demum, quae lucem aliquam adferre poterant, & quotieſcumque res poſtulabat, addere non dubitavit, adeo ut novam ipſe Ordinandorum Inſtitutionem de integro adornaſſe, atque inſtruxiſſe videretur.

Quum igitur, lector benevole, ita ut modo te monui, ſe res habuerit, alta tua maneat repoſitum mente, illum ſui amantiſſimi Praeſulis, cuius erga ſe benevolentiam multis ab eo acceptis beneficiis non ſemel adſpexit, voluntati & imperio, ea qua par erat obedientia, obſequutum, bonis tantummodo adoleſcentibus Clericis, qui multum diuque huius generis utiliſſimum opus expectabant, conſuluiſſe.

Haec

Haec erant, de quibus apud te verba facere a mea conditione non alienum arbitratus sum. Tu igitur, si lubet, hanc quoque, quam meis typis aeque ac alia multa eorumdem auctorum scripta, excudendam curavi, novo cultu ornatam, & auctam elucubrationem libenti animo excipito; in ea enim plura, ut spero, invenies, quae te legisse non poenitebit. Vale.

EXAMEN

INITIANDORUM AD SACROS ORDINES

AD FORMAM DIALOGI CONCINNATUM

Et ex probatissimis Auctoribus collectum.

DE ORDINE IN GENERE.

In. QUid sonat vox ista *Ordo?*

R. Apud Ecclesiasticos Scriptores Ordo late acceptus sonat quemlibet Christianorum *statum*: improprie sumtus quodvis Ecclesiae ministrorum *officium*, ut Cantoratus: proprie *sacram actionem*, qua certo, ac solemni ritu tribuitur cuipiam peculiaris potestas in ordine, ut inquiunt scholae, ad Euchariſtiae Sacrificium: strictius tandem *Ecclesiasticam dignitatem*, quae in Plebem Chri-

ſtianam imperium aliquod, ac certam iuriſdictionem ſibi habet adnexam.

In. Quid eſt Ordo Sacer?

R. Eſt Novae Legis Sacramentum, quo ſpiritualis poteſtas confertur ad Sacroſanctum Chriſti Corpus conſecrandum, & ad alia Miniſteria Eccleſiaſtica rite, & ex officio obeunda (1).

In. Quid eſt Sacramentum?

R. Eſt inviſibilis gratiae viſibile ſignum ad noſtram iuſtificationem inſtitutum (2).

In. Quot requiruntur ad Sacramentum proprie dictum?

R. Tria:

I. Signum ſenſibile:

II. Promiſſio Gratiae:

III. Inſtitutio Divina.

In. Qualis in Ordine eſt ritus externus, vel ſignum ſenſibile?

R.

(1) Ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 3.

(2) Ita Catechiſmus Concilii Trid. part. 2. n. 5. Definitio haec excerpta videtur ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 3.

R. Impositio manuum, quam Sacri Codices commemorant in Ordinatione Diaconorum, *Orantes imposuerunt eis manus* (1); in Ordinatione Presbyterorum, *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt* (2); in Ordinatione Episcoporum, *Noli negligere gratiam, quae in te est* &c. (3).

In. Undenam eruitur, Ordinem Sacrum Gratiam conferre?

R. Ex iis verbis, *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum* (4).

In. Quomodo Ordo Sacer ex Christi institutione proficiscitur?

R. I. Conficiendi Corporis sui facultatem ipsemet Christus Apostolis,

(1) Act. *6. 6.*
(2) Act. 14. 22.
(3) Prima ad Tim. 4. 14., ut & cap. 5. 22., & secund. ad Tim. 1. *6.*
(4) Secund. ad Tim. 1. *6.*

eorumque successoribus concessit in ultima Coena, dum ait: *Hoc facite in meam commemorationem* (1).

II. Iisdem quoque post mortem redivivus remittendorum peccatorum fecit potestatem dicens, *Accipite Spiritum sanctum* &c. (2).

In. Quotuplex est in Ordine potestas?

R. Duplex, alia *Ordinis*, alia *Iurisdictionis* dicitur.

In. Quid est potestas Ordinis?

R. Est illa, quae spectat Corpus Christi reale, seu sacrificium.

In. Quid est potestas Iurisdictionis?

R. Est ea, quae ordinatur ad regendum Corpus Christi mysticum, seu Fideles, per quam confertur ius docendi, ac regendi fideles ad vitam aeternam.

In. Quot sunt Ordines in Ecclesia Latina?

R.

(1) Lucae 22. 19. Et Concilium Tridentinum sess. 23. can. 2. definivit: *Si quis dixerit illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, non instituisse Apostolos Sacerdotes* . . . . *anathema sit*.

(2) Joan. 20. 22.

R. Septem, Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus. Tres primi ſunt *Maiores*; reliqui quatuor dicuntur *Minores*.

In. Cur inter Ordines non enumeraſti primam Tonſuram?

R. Quia haec non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines, quia per eam non recipitur ſpiritualis poteſtas circa Corpus Chriſti verum, nec circa Corpus Chriſti myſticum (1).

In. Cur plures Ordines ſunt inſtituti?

R. Rationem affert Concilium Tridentinum his verbis (2): *Cum autem divina res ſit tam Sancti Sacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit, quo dignius, & maiori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſiae ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent miniſteriorum ordines, qui Sacerdotio, & officio deſervirent*.

(1) Vid. Catechiſmum Rom. part. 2. de Sacram. Ord.

(2) Seſſ. 23. cap. 2.

In. Cur primi tres dicuntur *Maiores*, reliqui *Minores*?

R. *Maiores*, quia ad maiora munera deputantur, qui in iis sunt constituti: alii autem *Minores*, quia minoribus officiis funguntur, qui iis sunt initiati.

In. Quot apud Graecos adnumerantur Ordines?

R. Quatuor dumtaxat sunt Ordines (1), Presbyteratus nempe, Diaconatus, Subdiaconatus, Lectoratus: primi duo sunt maiores, & sacri; reliqui duo inter minores recensentur, quorum postremum cum prima Tonsura Graeci solent conferre, & ipsorum ritum non improbavit Ecclesia (2).

In.

(1) Quatuor tantum Ordines penes Graecos agnoscuntur a mille annis, & amplius, ut patet ex illorum Euchologiis; ex Conc. VIII. Oecumenico act. 9. can. 5.; ex Niceta in vita S. Ignatii Ep. Constantinop.; atque ex Epist. Joannis VII. ad Imperatorem Graecorum.

(2) Praeter Ordines plura fuerunt olim in Ecclesia Officia, ut Cantoratus, de quo etiam apud Graecos, qui a Presbytero conferebatur

ex

In. Quisnam Ordinis est Minister?
R. Soli Episcopo iure proprio competit Ecclesiae Ministros ordinare.

A 4   *In*.

ex Conc. Carthag. IV. can. 10., in hoc quippe Canone ita habetur: *Psalmista*, idest Cantor, *potest absque scientia Episcopi sola iussione Presbyteri officium suscipere*. Officium illud Cardinalis Bellarminus putat confundi nunc cum Lectoris officio. De eodem Cantorum, seu Psalmistarum officio mentionem facit Concilium Laodicaenum cap. 15. Erat etiam officium *Fossariorum*, qui *Laborantes* dicebantur, eo quod sepeliendis mortuis operam darent, de quibus S. Hieronymus, aut quisquis auctor est Epistolae ad Rusticum Narbonensem, & S. Epiphanius in Expositione Fidei. Erat pariter *Notariorum*, quos Graeci *Chartophylaces* dicunt, quique custodes erant instrumentorum, seu tabularum Ecclesiae. Erat tandem *Defensorum*, aut *Custodum Martyrum*, qui ita vocabantur, quod ipsis custodia Ecclesiarum, seu Coemeteriorum, ubi sepulta erant Martyrum corpora, concederetur. Christianorum quippe Ecclesiae olim *Martyria* dicebantur, quod in Martyrum coemeteriis aedificarentur, & altaria Ecclesiarum super ipsa Martyrum coemeteria constituerentur. Hinc *Martyrium* proprie erat Ecclesiae Sanctuarium, ubi erat altare, & subtus altare locus, in quo Martyris Corpus erat reconditum: & ab eo loco tota Ecclesia per Synecdochen *Martyrium* dicebatur. Apud Latinos vero, Romae potissimum, locus ille *Confessio* appellabatur, ut *Confessio B. Petri*; eo quod SS. Martyres funden-

In. Singuli Ordines ſuntne Sacramenta?

R. De fide eſt, Sacerdotium verum eſſe Sacramentum (1). Idem de Diaconatu cenſendum iuxta communem Theologorum ſententiam, quia Diaconatus confertur per manuum impoſitionem, quae eſt ſignum ſenſibile divinitus inſtitutum: aut certe temerarium eſſet id negare.

In. Si Epiſcopatus, ut ſuperius adnotavi, Presbyteratus, & Diaconatus ſunt Sacramenta, & Ordines diſtincti, ergone dicendum, quod novae legis Sacramenta ſint novem, octo autem Ordines?

R. Ad hoc reſpondetur, Sacramentum, atque Ordinem duplici ratione eſſe ſpectandum, generatim nempe, ac ſpeciatim.

Or-

dendo ſanguinem confeſſi fuerant in his locis Chriſti fidem. Vid. hac ſuper re aureum Opus ſecundo editum Ampliſs. ac Reverendiſs. Archipraeſulis Noſtri de Sacris Ordinationibus a pag. 21. ad pag. uſq. 28.

(1) Ita definivit Conc. Trid. ſeſſ. 23. can. 3.

Ordo, & Sacramentum generice sumta dividuntur immediate in septem species; atque ita septem dumtaxat sunt Ordines, totidemque Sacramenta.

Ordinis Sacramentum specifice sumtum in Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum subdividitur.

Ordo pariter Sacerdotalis, qui generice est unus, in duas subdividitur species, Episcopatum (1) nempe, atque Presbyteratum.

 In.

(1) Hinc D. Thomas in 4. Sententiarum dist. 24. q. 2. art. 1. q. 1. ad 2. inquit, *Tota plenitudo huius Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quaedam participatio Ordinis*. Id constat ex veteri, & constanti Ecclesiae Latinae Traditione; ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis; & ex Conc. Trid. sess. 23. c. 2. Episcopatus quoque iuxta probabiliorem sententiam est Sacramentum a Presbyteratu distinctum. Dixi *iuxta probabiliorem*; nam licet controversia haec non sit ab Ecclesia hactenus definita, huiusce tamen sententiae complura sunt argumenta e Scriptura, Traditione, ipsaque ratione petita. *Et quamvis S. Thomas*, (ut habet doctissimus, iuxtaque piissimus Contensonius) *in 4. Sententiarum docuerit, Episcopatum non esse Ordinem; senior tamen factus sententiam mutavit*, ut videre

In. Eſtne Subdiaconatus Sacramentum?

R. Probabilior opinio fert, Subdiaconatum non eſſe Sacramentum; nam & iſte, & ceteri Ordines ab Eccleſia inſtituti ſunt, ac proinde

dere eſt in eius Opuſculo *de perfectione vitae ſpiritualis cap.* 24., cuius verba ponderanti manifeſto apparebit, Epiſcopatum ab Angelico Doctore pro vero Ordine, ac Sacramento haberi. Certum inſuper eſt, etſi non expreſſe definitum, Epiſcopos iure divino ſimplicibus Presbyteris tum poteſtate Ordinis, tum Iuriſdictionis praeeminere, quia huic ſententiae ita aperte favent S. Tridentinae Synodi decreta, ibi: *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem &c. anathema ſit*; ut contraria opinio ſine inſigni temeritate, graviſſimaque Fidei violatae ſuſpicione nequeat propugnari; clare etenim conſtat ex iis Concilii verbis ineſſe Epiſcopis Sacerdotii plenitudinem. Et revera Epiſcopatus inſtitutio eſt Iuris Divini, iuxta illud Actor. 20. 2. *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Et in Epiſcopi conſecratione huiuſmodi plenitudo confertur impoſitione manuum tam Epiſcopi conſecratoris, quam Epiſcoporum aſſiſtentium, ſuper caput Conſecrandi dicentium: *Accipe Spiritum Sanctum*.

de Sacramenta non esse, dubitat S. Thomas (1).

A 6 In.

(1) Subdiaconatus, & Minores Ordines si in origine spectentur, divinae institutionis sunt, & ita vera dici possunt Sacramenta.

Nam illi Ordines in origine sumti divinae sunt institutionis, qui in Diaconatu tamquam in radice continentur, & ab illo veluti rivuli a fonte manant; cum enim Diaconatus divina, quod nemo ambigit, institutio fuerit, eiusdem excellentiae aliquatenus participes esse oportet Ordines ab illo praecisos.

Atqui Subdiaconatus, & quatuor Minores Ordines in Diaconatu tanquam in radice continentur, & ab illo veluti rivi a fonte manant; in illo enim residet plenitudo Sacri Ministerii Sacerdotibus exhibendi; & Conc. Trid. divinae Hierarchiae dignitatem commendans *Ministrorum* nomine utitur sess. 23. can. 6., qua quidem ministrorum voce voluit insinuare, Subdiaconatum, & inferiores Ordines, qui ex Diaconatu decerpti eius sunt veluti propagines, divinae Hierarchiae posse accenseri, quatenus cum illo in unum veluti Sacramentum coadunantur:

Ergo Subdiaconatus, & inferiores Ordines in origine spectati divinae sunt institutionis, adeoque nihil obstat, quominus sacramenta *analogice* nimirum, & *connotative* dicantur, quia radix, unde excisi sunt, Sacramenti naturam vere, ac proprie continet; si enim radix sancta, & rami. Secus dicendum, si spectentur *formaliter*, & *divisim*. Altum enim de illis in Scriptura silentium, ubi tam frequens de Episco-

pis,

In. Cur primi tres Ordines dicuntur *Sacri*?

R. Quod ad Presbyteratum, & Diaconatum spectant, quia cum isti propius accedant ad Eucharistiam, ceteris sacratiores haberi debent, & ita eos semper habuit Ecclesia. Quod autem pertinet ad Subdiaconatum,

pis, Presbyteris, & Diaconis mentio occurrit. Dubium etiam hac in re fuisse D. Thomam, colligit Bened. XIV. in celebri Opere de Syn. Dioecef. lib. 8. cap. 9. ibi: Sanctus Thomas, qui aliis in locis singulis Ordinibus veri Sacramenti a Christo Domino instituti excellentiam asserit, in cap. 3. epist. 1. ad Timoth. lect. 2. Magistrum sequutus ait: *In primitiva Ecclesiae solum erant tres Ordines . . . . . Episcoporum, Presbyterorum & Ministrorum, & non dividebantur per diversos gradus, sed omnia erant in uno Ordine propter paucitatem ministrorum, & propter novitatem Ecclesiae:* ex quo colligitur, dubiam saltem fuisse hac in re Angelici Praeceptoris mentem. Hinc praelaudatus Pontifex prosequitur: Dubii pariter & nos haeremus, nec ullam in hac difficillima controversia sententiam ferimus; ideo autem rationes attigimus, quae in utramque partem adducuntur, & paullo prolixius illas expolivimus, quae postremae favent opinioni, ut videant Episcopi, non posse indubitanter sacrilegii damnari, qui cum conscientia peccati lethalis Ordines Diaconatu inferiores suscipere non reformidant.

tum, vera ratio repetenda est ex dispositione Ecclesiae, quae propter ministeria in Subdiaconis praestantiora, & sanctiora, quam in inferioribus Clericis, (utpote quae immediatius ad ritum sacrificii concurrant) ipsorum Ordinem inter Maiores, & Sacros recensuit, lege perpetuae continentiae illos prius adstringens, ac postmodum per Urbanum II. ipsis indulgens (1), ut in Episcopos eligi possent, de licentia tamen Romani Pontificis, vel Metropolitani, cum antea in Episcopum eligi potuisset solus Presbyter, aut Diaconus (2).

In. Quis Ordinum Auctor?

R. Christus Dominus Sacerdotium; &

(1) Id contigit anno 1091. in Concilio Beneventano can. 1., quo Urbanus II. ex dispensatione permisit, ut Subdiaconus eligi posset Episcopus.

(2) Refertur illud decretum dist. 60. cap. 4. *Nullus*, inquit, *in Episcopum eligatur, nisi in Sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus: Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum: hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia: super his solis praeceptum Apostolicum habemus.*

& Diaconatum (1) instituit. Reliquos Ordines instituit Ecclesia.

In. Quandonam a Christo Domino institutum fuit Ordinis Sacramentum?

R. Quo tempore Sacrificium Christus instituit, eodem quoque Apostolos Sacerdotes destinavit, nimirum Sacramentum Ordinis instituit: sed Christus Dominus sacrificium instituit in ultima Coena; ergo in ultima Coena Ordinis etiam Sacramentum instituit.

In. Quaenam materia Ordinis?

R. Impositio manuum, & certorum instrumentorum porrectio (2).

(1) Quidquid ad Ministrorum creationem in Ecclesia spectat ordinatione Christi ab Apostolis factum censendum esse, ait Morinus de Sacram. Ordinis exercit. 3. c. 3. quamvis non statim, sed crescente praesertim numero fidelium exequuti fuerint, ex Sancti Epiphanii sententia.

(2) Instrumentorum porrectio necessaria est usu, ac praecepto Ecclesiae ad integralem perfectionem Ordinationis. Hinc non immerito Diaconi, & Presbyteri *Ordinandi*, non autem *Ordinati* appellantur post factam impositionem manuum. Etenim simpliciter, & absolute quis dici nequit *Ordinatus*, nisi qui ritus omnes perceperit, quos exigit Ecclesia, in qua vivit.

In. Quotuplex ergo erit?
R. Duplex: essentialis, & integralis.
In. Quaenam essentialis, quaenam integralis?
R. Essentialis in Presbyteratu, & Diaconatu iuxta probabiliorem sententiam est manuum impositio; integralis est certorum instrumentorum porrectio (1): quae quidem instrumenta sunt materia essentialis ceterorum Ordinum.
In. Quaenam Forma?
R. Forma Presbyteratus, & Diaconatus est oratio prolata ab Episcopo,

(1) Instrumentorum porrectio cum verbis adiunctis omnino est adhibenda: ille quippe ritus sedulo retineri, & observari debet, quo Ecclesia a septingentis & amplius annis utitur; quem Ordo Romanus, & omnes Rituales libri continent, & assignat Eugenius IV. in suo Decreto, seu Instructione Armenorum; qui denique apertius, & significantius exprimit uniuscuiusque Ordinis finem, & effectum. Vide plura hac de re apud Bened. XIV. de Syn. Dioecesi. lib. 8. c. 10., qui vult, ut Episcopus in Synodo decliner hanc quaestionem in Scholis agitatam circa materiam, & formam Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, ne secus *in ea se coniiciat difficultatum dumeta, a quibus vix possit explicari.*

po, dum manus imponit. In ceteris autem Ordinibus pro forma habenda sunt verba, quae instrumentorum traditionem comitantur.

In. Quid requiritur ad validam Ordinis susceptionem?

R. Sexus masculinus, Baptismus, consensus in adultis (1).

In. Quid ad licitam?

R. Sexus, Baptismus, Confirmatio, rationis usus, aetas, status gratiae, immunitas a censura, scientia, subiectio Episcopo ordinanti (2), & debita interstitia &c.

In. Quid si ordinandus Confirmationem non acceperit?

R. Sine Confirmatione valet ordinatio; neque enim Confirmatio ad valorem

(1) Parvuli tamen valide ordinantur; at non tenentur ad leges, cum adoleverint, nisi consentiant. Ita ex responsione Bened. XIV. in instructione super dubiis ad ritus Ecclesiae, & Nationis Cophtorum, *Eo quamvis* 4. Maii 1745. §. 20., & seq.

(2) Ex Bonifacii VIII. Constitutione cap. *Nullus* de temp. Ordin. in VI. triplici ratione potest quis esse Episcopo subiectus: I. ratione originis: II. beneficii: III. domicilii.

rem ordinationum ita praerequiritur, uti Baptisma; sed praeexigitur solum ex Ecclesiae praecepto (1).

In. Quaenam est legitima ordinandorum aetas?

R. Pro Minoribus Ordinibus nulla certa aetas a lege est definita. Tridentinum vero Concilium statuit, ne conferantur nisi iis, *qui saltem Latinam linguam intelligant*. Idem porro Concilium pro Subdiaconatu exigit annos viginti duos, pro Diaconatu viginti tres, & pro Presbyteratu vigintiquinque: sufficit autem, ut hi anni sint inchoati (2).

In. Quid dicendum de ordinato per saltum?

R. Valida est ordinatio, quia potestas inferior continetur in superiore: supplenda tamen sunt, quae omissa fuere (3).

In.

(1) Vide Concilium Tridentinum sess. 23. c. 4., ubi Confirmatio praescribitur etiam ante primam Tonsuram.

(2) Vid. Conc. Trid. sess. 23. c. 11. & 12. de Reform.

(3) Ordinatus in superiore Ordine, inferiore omis-

In. Quid si quispiam ordinaretur ante legitimam aetatem, aut extra tempora ordinationum legitima, aut non servatis interstitiis sine debita dispensatione?

R. Qui ante legitimam aetatem, vel extra tempora legitima ordinatur sine dispensatione Apostolica, graviter peccat, ac suspensionem incurrit; & si Ordinem exerceat, priusquam a suspensione absolvatur, fit irregularis. Idem dicendum, si quis duos Sacros Ordines, aut Subdiaconatum cum Minoribus una die sine dispensatione reciperet (1).

Qui

omisso, peccat mortaliter, & manet suspensus ab usu Ordinis sic per saltum suscepti *c. un. de Cleric. per saltum promoto*. Sed si non ministraverit, potest Episcopus ex legitima caussa cum eo dispensare ex Tridentino Conc.*sess.* 23. *c.* 14. *de Ref.* Laudata Decretalis *de Clerico &c.* loquens de eo, qui Presbyter fuerat ordinatus, Diaconatu praetermisso, exigit, ut dispensatione eidem concessa, non antea ministret in Sacerdotio, quam Diaconatus omissus ei conferatur. Idem faciendum creditur, si aliqui Minores, aut Subdiaconatus per saltum fuerit omissus. Veterem hac in re, recentioremque disciplinam explicat Morinus de SS. Ordinat. part. 3. exercit. 11. c. 2.

(1) Vid. Lambert. Card. Bon. Inst. 106. n. 10.

Qui autem ſine diſpenſatione (legitima tamen aetate, legitimoque Ordinationum tempore) Sacros Ordines reciperet, non ſervatis interſtitiis, graviter quidem peccaret, ſed nec ſuſpenſus, nec recepti Ordinis exercitio irregularis fieret.

In. Quid dicendum de ſuſcipiente Sacramentum Ordinis cum reatu lethalis peccati?

R. Hic ſacrilegium committit.

In. Eſſetne ſacrilegii reus, qui ad Subdiaconatum, vel minores Ordines ſuſcipiendos accederet cum conſcientia lethalis peccati?

R. In hac controverſia Bened. XIV. (1) monuit, *non poſſe indubitanter ſacrilegii damnari, qui cum conſcientia peccati lethalis Ordines Diaconatu inferiores ſuſcipere non reformidant* (2).

In.

(1) De Synod. Dioeceſ. lib. 8. c. 9. n. 12.

(2) Quamquam certum non eſt, num ex perceptione Ordinum Diaconatu inferiorum ſacrilegium committatur, ſufficit tamen dubium: ſacrilegium enim

In. Quot effectus Sacramenti Ordinis?

R. Tres. I. Gratia Santificans; II. Gratia Sacramentalis; III. Character.

In. Cur dicitur *Gratia Sanctificans*?

R. Quia effectus eius formalis est sanctum efficere subiectum, cui inhaeret.

In. Quoniam de Gratia hic sermo occurrit, non incongruum erit, ut explices quid sit Gratia?

R. Est donum Dei supernaturale gratis concessum.

In. Cur dicitur *donum Dei supernaturale?*

R. Quia interior Dei gratia adiuvat voluntatem ad bene agendum, *eaque*, ut inquit D. Augustinus (1), *iu-*

enim incurrit, qui se sacrilegii dubio, ac periculo exponit; nam qui prudenter dubitat de pravitate alicuius actionis, quam deliberate ponit, is inficitur illius speciei peccato, de qua dubitat; idque ex regulis morum communi Theologorum consensu receptis; adeoque quocumque Ordine initiandi conscientiam suam a culpa saltem gravi antea purgare non praetermittant.

(1) Ep. 177. ad Innocentium Pontificem.

iustificamur ab iniquitate, *& sanamur ab infirmitate* (1).

In. Cur adiungitur *gratis concessum*?

R. Quia ex mera Dei liberalitate proficiscitur, non ex iustitia, aut ex operibus, quae fecimus nos (2).

In. Quotuplex est gratia?

R. Duplex, *gratia Dei*, & *gratia Christi*.

In. Quid est *gratia Dei*?

R. Est ea, qua creati sumus (3).

In. Quid est *gratia Christi*?

R. Est ea, quam nobis largitur Deus ob Christi merita (4).

In.

(1) Hanc interiorem gratiam negabat Pelagius gratiae nomine intelligens naturam, & liberum arbitrium.

(2) Apostolus ad Rom. 11. v. 6. inquit: *Si Gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia:* & cap. 4. v. 4. iam dixerat: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

(3) Ita docet D. Aug. ep. 177. ad Innoc. Pontif. n. 6. Item caritas, iustitia, & immortalitas, quae primo homini innocenti Dei bonitate donatae fuerant.

(4) Huiusmodi est omnis gratia supernaturalis hominibus concessa, postea quam primus homo mandatum Dei transgressus est.

In. Quotuplex eſt Chriſti gratia?

R. *Externa*, & *Interna*: item alia *gratiſdata*, & alia *gratum faciens*.

In. Quid eſt gratia *externa?*

R. Ea eſt, quae hominem exterius afficit, multiſque idcirco eſt communis; veluti divina lex, Chriſti doctrina, miracula, exempla, aliaque huiuſmodi.

In. Quid eſt gratia *interna?*

R. Eſt illa, quae hominem interius afficit, ſive inhaerendo, ut caritas, quae diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis; ſive illuſtratione mentis, & bonae voluntatis excitatione.

In. Quid eſt gratia *gratiſdata?*

R. Ea eſſe intelligitur, quae primario ordinatur ad utilitatem aliorum (1).

In.

(1) Ad hanc rem Apoſtolus 1. ad Cor. 12. v. 7. ait: *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem . . . . . alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiae, alii ſermo ſcientiae ſecundum eumdem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpi-*

In. Quid est gratia *gratum faciens ?*

R. Est munus Dei supernaturale gratuitum, sed primario ordinatum ad utilitatem, & salutem eius, cui confertur, nempe ut gratus Deo sit, vel fiat.

In. Quotuplex est gratia *gratum faciens ?*

R. Duplex, *habitualis* nempe, & *actualis*.

In. Quid est *habitualis ?*

R. Est illa, quae animo inhaeret, veluti quidam habitus (1), & haec vocatur etiam gratia *sanctificans*.

In.

spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Cum gratia haec ad aliorum praesertim utilitatem conferatur, non solum eam largitur Deus iis, qui morum integritate refulgent, sed interdum etiam sceleſtiſſimis, & infidelibus hominibus largitus est. Hanc insuper gratiam nemo quibusvis gratiae muneribus instructus promereri potest.

(1) Haec gratia hominibus usu etiam rationis carentibus infunditur, uti parvulis baptizatis, qui ob gratiam hanc habitualem, atque sanctificantem filii Dei nominantur, & sunt. Huiusce gratiae duplicem effectum agnoscit D. Thomas 1. 2. q. 3. art. 2. scilicet benevolentiam

In. Quid est gratia *actualis ?*

R. Est supernaturale Dei auxilium, quo intellectus illustratur, & voluntas erga bonum accenditur, utque illud operetur, adiuvatur (1).

In. Quotuplex est gratia *actualis ?*

R.

tiam Dei specialem erga sanctificatum, & inclinationem ad bona opera in sanctificato ipso rationis usum habente.

(1) *Gratia ista*, inquit S. Doctor Augustinus in lib. de Gratia Christi cap. 12., *agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.* Pluribus nominibus eam distinguunt Theologi ob varias circumstantias. I. Ipsam dicunt *operantem*, seu *excitantem*, seu *praevenientem*, qua nempe mens nostra illustratur, & voluntas erga bonum accenditur ab ipso Deo, quin agat quidpiam voluntas ipsa. II. Eam vocant *cooperantem*, vel *adiuvantem*, vel *consequentem*, quae nimirum priorem gratiam subsequitur, ut homo opus supernaturale perficiat. *Cum enim*, ut Concilium Tridentinum docet sess. 6. c. 16., *ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possunt: idcirco gratiam praevenientem, concomitantem, & subsequentem statuunt.* Gratia *subsequens* dicitur etiam *gratia pro gratia*, videlicet

quae

R. Duplex, alia *sufficiens*, *efficax* alia.

In. Quid est gratia *sufficiens?*

R. Est ea, quae dat *posse*, & non *velle* ad implenda Divina mandata; est auxilium sine quo, non quo opera bona compleamus; & si aliquando dat *velle*, hoc adeo imperfectum est, *ut desideria carnis contraria concupiscentis non vincat*, *nisi superveniente flagrantissima*, *& potentissima caritate*. Attamen mentem illustrat, excitat voluntatem ad bonum, licet non perficiat, minuit concupiscentiae ardorem, licet non extinguat, pia ac sancta desideria inspirat, ad validiorem gratiam, & ad implenda legis praecepta praeparat ac disponit, & quoad hos effectus ni-

B hil

quae ex Dei miseratione confertur homini intuitu cooperationis praestitae priori gratiae iuxta illud Zachariae c. 1. v. 3. *Convertimini ad me*, *ait Dominus exercituum*, *& ego convertar ad vos*; quod cum dicitur, libertatis nostrae admonemur: cum vero respondemus, *Converte nos*, *Domine*, *ad te*, *& convertemur*, Dei nos gratia praeveniri confitemur. Conc. Trid. sess. 6. c. 5.

hil prohibet, posse hanc gratiam vocari efficacem (1).

In. Quid est gratia *Efficax?*

R. Haec non solum dat *posse*, sed & dat *velle*, & *perficere* pro bona voluntate; & a S. Augustino (2) definitur: *Inspiratio sanctae dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, quae proprie gratia est*, & vere

(1) Theologi illud *sufficiens* vocant auxilium, (Lemos Tom. 4. Panopl. part. 2. tract. 3. c. 6.) per quod non datur tantus influxus, quantus requiritur, ut actio sit, sed illud, quod dat sufficientiam, & possibilitatem, ut homo bene operetur, si velit, ut ex Patre Augustino saepe dictum est, quamvis, ut de facto operetur, alium potentiorem requirit influxum . . . . quia hoc est officium gratiae efficacis. Est parva, & invalida ad implenda Divina mandata gratia haec, non quidem ex sui defectu, cum a SS. Augustino, & Thoma definiatur gratia, *occultissimae, & potentissimae Divinae potestatis medicina;* sed ex corruptionis nostrae natura, & carnalis & robustioris delectationis obstaculo, quo cor hominis *congelascit adversus Deum, & fit durum adversus imbrem gratiae ipsius, ut fructum ferat*, ex S. Augustini sententia. Certe parva haec, & invalida gratia sufficiens, & valida erat in statu innocentiae, *in quo nihil concupiscentialiter resistebat*.

(2) Lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. num. 11.

re sufficiens est ad opus bonum perficiendum. Est *victrix delectatio*, *sive caritas*, *quae superat contrariam concupiscentiam*; auxilium, quo *carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntas spiritus vincat*; *quae inspirata Gratiae suavitate per Spiritum Sanctum facit plus delectare*, *quod praecipit*, *quam delectet*, *quod impedit* (1). Docemur praeterea, dari a Deo per hanc Gratiam *certam scientiam*, *ac victricem delectationem*, *occultissimam*, *ac efficacissimam voluntatem*, *ac potestatem*, *quae convertit*, *&* *transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem* (2).

In. Conferturne semper in Ordinatione gratiae plenitudo?

R. Confertur dumtaxat iis, qui a Deo vocantur ad Sacerdotale munus, & ad illud sunt bene affecti, ac rite dispositi, quia novae Legis

 Sa-

(1) Idem S. Doctor lib. de spiritu & lit. cap. 29. num. 51.

(2) Idem lib. de peccat. meritis, & remiss. cap. 19. num. 32.

Sacramenta licet per se efficacia, pro dispositione tamen suscipientium plus, minusve gratiae conferunt.

In. Quid est *Gratia Sacramentalis?*

R. Est ius fundatum in Gratia Sanctificante per Sacramentum Ordinis collata, ad accipienda a Deo auxilia supernaturalia (1), seu gratias

(1) In Sacramentis omnibus dantur rite dispositis *auxilia actualia*, quae quidem sunt diversa propter fines Sacramentorum diversos: unde & iura ad eiusmodi auxilia sunt pariter diversa.

In Baptismo siquidem confertur ius morale ad auxilia actualia, quibus homo adiuvetur ad recte, ac religiose suscipienda alia Sacramenta.

In Confirmatione ad auxilia confitendi fidem cum periculo vitae &c.

In Eucharistia ad auxilia eliciendi actus caritatis, & devotionis, quibus homo spiritualiter nutritur.

In Poenitentia ad auxilia, quibus homo sibi ipsi indignetur ob peccata sua, & Deo pro illis satisfaciat.

In Extrema Unctione ad auxilia, quibus morbi dolores, & molestias patienter ferat.

In Ordine Sacro ad auxilia, quibus munia Ecclesiastica cuiuslibet Ordinis a Ministris in Ordinibus constitutis rite obeantur.

In Matrimonio ad auxilia, quibus fraenetur li-

tias actuales, quae in illustrationibus mentis, & piis voluntatis motionibus consistunt.

In. Eiusmodi gratiae adsuntne semper initiatis?

R. I. Vi Sacramenti iis non dantur, qui in sua ordinatione obicem gratiae sanctificanti posuere, vel ab ea postmodum exciderunt; quia gratia sacramentalis in gratia sanctificante fundatur: sublato fundamento, aedificium corruat necesse est.

II. Neque iis debetur gratia sacramentalis, qui Deo non vocante ad Ordines accedunt.

III. Privantur etiam eiusmodi actualibus gratiis, qui licet caveant a peccato mortali, multas peccatorum venialium sordes congerunt, illasque negligunt.

In. Cur dictum fuit superius, gratias illas actuales non dari *vi Sacramenti?*

 R.

libido, & tribulationes carnis cum patientia tolerentur, & proles sancte suscipiatur, ac pie educetur.

R. Quia Deus aliquando utitur malis miniſtris in commendationem Sacri Miniſterii, & in ſalutem electorum (1).

In. Quid eſt Character?

R. Eſt ſignum Chriſti in anima impreſſum indelebile, quo initiatus efficitur idoneus ad munia eccleſiaſtica obeunda, & a non initiatis diſcernitur (2).

In. Quot ergo erunt characteris effectus?

R. Duo: I. diſtinguit Sacerdotem a laicis.

II. conſecrat, atque deputat ad munia eccleſiaſtica obeunda.

In.

(1) Joannis 11. habetur, quod *Caiphas cum eſſet Pontifex, prophetavit*.

(2) Character late ſumtus eſt ſignum in anima impreſſum indelebile, quo diſtinguitur homo ab aliis, efficiturque idoneus ad nonnulla, quae ſunt cultus divini; in Baptiſmo ad recipienda alia Sacramenta; in Confirmatione ad profeſſionem fidei; & in Ordine ad functiones eccleſiaſticas obeundas. Quod autem Sacramentum imprimat characterem, habetur ex Apoſtolo II. ad Cor. 1. *Qui unxit nos, Deus eſt, & qui ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*.

In. Cur dicitur *Signum ?*

R. Quia distinguit, atque notat tanquam sacrum sigillum animum recipientis illud inter eos, qui non recipiunt.

In. Quare adiungitur *in anima impressum ?*

R. Ut distinguatur tum a charactere circumcisionis Hebraeorum (1); tum a notis, & insignibus, quae Principum Ministri extrinsecus in vestibus circumferunt; tum denique a charactere daemonis, qui veluti *simia Dei*, ut inquiunt SS. Patres, extrinsecus notat sacrilegos, qui ei se mancipant (2).

In. Quid est illud signum in anima impressum?

R. Certo definiri non potest. Catechismus Romanus docet esse *praecipuam potestatem* (3).

In. Cur dicitur *indelebile ?*

(1) *Eiusmodi charactere Judaei*, ut inquit D. Chrysostomus, *in corpore, veluti pecora gregis Domini ab aliis gentibus secernebantur*.

(2) Id habetur Apocal. 13. & 14.

(3) De Sacram. Ordin. part. 2. c. 7. n. 34.

R. Duplici ratione : I. quia qui recipit Sacramentum Ordinis, consecratur, ac perpetuo deputatur ad specialem statum Ministri Dei, & Ecclesiae : II. quia character Sacrae Ordinationis est participatio quaedam Sacerdotii Iesu Christi Sacerdotis aeterni secundum ordinem Melchisedech (1).

In. Reiterarine poterit Sacra Ordinatio ?

R. Minime, quia, ut inquit D. Augustinus, *Quod semel est consecratum, suam consecrationem nunquam amittit*.

In. Manetne Sacrae Ordinationis character in hominibus iniquis? vel ab iis potest conferri ?

R. Utique quoad utramque partem. Id evincitur Scripturarum testimonio, & Ecclesiae iudicio, quae Donatistas, Waldenses, Wiclefistas, & Hussitas utrumque negan-

tes

(1) Vid. supra laudatum Opus Archipraesulis Nostri de Sac. Ordinat. a pag. 31. ad tot. usq. pag. 32., in quo fuse non minus, quam docte de Ordinis Sacri charactere dilleritur.

tes tanquam haereticos condemnavit.

In. Quotuplex eſt Sacrae Ordinationis titulus?

R. Triplex: Eccleſiaſticus, Patrimonialis, & Monaſticus.

In. Cur Eccleſia neminem ſecularem Clericum vult ſacris initiari, niſi aliquem titulum ad honeſtam eius ſuſtentationem ſufficientem habeat?

R. Ut Eccleſiae Miniſtri de victu, & veſtitu minime ſoliciti rebus divinis, ac ſtudio libere vacare poſſint, nec ob honeſtae ſuſtentationis defectum mendicare, aut turpem aliquem quaeſtum exercere cogantur.

In. Quid eſt titulus *Eccleſiaſticus?*

R. Eſt ius fruendi bonis Eccleſiae, & acquiritur per beneficium (1), vel penſionem Eccleſiaſticam.

In. Quid *Patrimonialis?*

R. Eſt ius percipiendi fructus vel ex

 gra-

(1) Titulus Eccleſiaſticus, ſeu beneficii eſt ille, praeter quem nullum alium agnovit antiquitas ante Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro III.

gratuita donatione, vel haereditaria successione (1).

In. Quid *Monasticus?*

R. Est titulus paupertatis.

In. Quaenam sunt obligationes Clericorum Maiorum?

R. Tonsura, habitus clericalis, coelibatus, divini officii recitatio. Ad coelibatum, & officii divini reci-

(2) In Can. 5. eiusdem Concil. Lateranensis titulus patrimonii coepit ex dispensatione quadam approbari.

Concilium Trid. sess. 21. de ref. cap. 2. exigit pariter in ordinandis vel titulum beneficii ecclesiastici, quod ad victum ipsis honeste sufficiat, vel patrimonium, aut pensionem. Tridentina autem Synodus dum patrimonii, vel pensionis titulum admisit, ut custodiretur, quoad fieri potest, veterum canonum mens, & spiritus disciplinae, sapientissime sanxit sess. 21. c. 2., ut *Patrimonium, vel pensionem obtinentes ordinari non possint, nisi quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate Ecclesiarum suarum;* cum scilicet is qui ordinandus est, credatur vel necessarius, vel utilis futurus Ecclesiae.

Ita vero necessarius est titulus ille, ut qui eo conficto ordinantem decepisset, ipso iure ab Ordinum executione suspensus esset. Poenam hanc can. *Neminem*, & can. *Sanctorum* statutam innovavit Concil. Trid., & postea Urbanus VIII. an. 1624. constitutione, quae incipit *Secretis aeternae Providentiae*.

recitationem non tenentur Minores Clerici vi suae ordinationis.

DE TONSURA CLERICALI.

In. QUid est Tonsura Clericalis?

R. Est ritus ab Ecclesia institutus, quo quis disponitur ad vitam clericalem amplectendam, & Ordines suscipiendos.

In. In quo consistit ritus iste?

R. In capillorum detonsione, & orationibus adiunctis.

In. Cur dicitur ritus iste ab Ecclesia institutus?

R. Quia Christum immediatum auctorem non habet, cum de ritu isto Scriptura, & prisca Traditio altum habeat silentium (1); sed Ecclesia potestate a Christo accepta ritum hunc, non secus ac plerosque alios sacros ritus instituit.

(1) Antiquitus etiam plerique leguntur Lectores, Exorcistae, Diaconi &c. sine tonsura praevia ordinati: & insuper non fuit haec ab omnibus Ecclesiis uniformiter observata: nec ideo tamen velut inutilis contemnenda, vel accusanda superstitionis, (quae haereticorum terra est calumnia).

In. Cur vocatur dispositio ad vitam clericalem, & ordines?

R. Quia, ut inquit Catechismus Romanus, *sicuti homines ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonium sponsalibus praeparari solent; ita tonso capillo Deo dedicantur, & aditus ad Ordinis Sacramentum aperitur* (1).

In. Competitne tonsurae clericali Ordinis nomen?

R. Minime, quia illa non est stricte ordo, cum per tonsuram nulla tribuatur potestas ad ullum ministerium pertinens ad Missae Sacrificium, ut in Ordinibus tum minoribus, tum maioribus contingit.

In. Cur igitur Cap. *Cum contingat*, *de*

(1) Ideo instituta tonsura est, ut Ordinis Sacri, cuius praecipua functio est sacrificium, in ea tyrocinium poneretur. Hinc sicuti nemo monasticum habitum induit, & ad novitiatum admittitur, nisi de quo probabilis coniectura est, quod velit vitam religiosam amplecti, & emissis votis solemniter profiteri; ita ad tonsuram nemo recipiendus, nisi vitae sacerdotalis sectandae voluntatem significaverit.

de aet. praeficiendor. dicitur per tonsuram conferri *clericalis ordo* ?

R. Ibi *ordo* late sumitur pro *statu* clericali, prout a laicali *statu* seu *ordine* distinguitur.

In. Undenam originem trahit tonsura ?

R. Nonnulli eam repetunt, ut S. Isidorus (1), a Nazaraeis veteris Legis (2), eorumque exemplo, & imitatione eiusmodi usus, radendi scilicet caput, ab Apostolis introductus est.

In. Quidnam Apostoli ipsi significari intendebant huiusmodi usu ?

R. Inductus est ab Apostolis usus radendi caput Nazaraeorum exemplo,

(1) In Conc. Aquisgranensi nono ineunte seculo habito, nempe anno 816., referuntur verba S. Isidori lib. 2. de Ecclef. offic. cap. 4. sic loquentis: *Tonsurae Ecclesiasticae usus a Nazaraeis, ni fallor, exortus est, qui prius crine servato, denuo post magnam vitae continentiam devotione completa caput radebant, & capillos in igne Sacrificii ponere iubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suae Domino consecrarent.*

(2) Numeror. 6. v. 18. dicitur: *Tunc radetur Nazaraeus ante ostium Tabernaculi foederis caesarie consecrationis suae.*

plo, *ut hi, qui in divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaraei, ideſt ſancti Dei, crine praeciſa innoventur* (1).

In. Quot ſunt diſpoſitiones in tonſurando requiſitae?

R. Quatuor ex Concil. Trident. (2).

I. Eſſe debet confirmatus.

II. Fidei rudimenta edoctus ſit.

III. Legere, & ſcribere ſciat.

IV. Probabilis ſit coniectura, eum elegiſſe hoc vitae genus, ut Deo fidelem cultum praeſtet.

In. Qua aetate prima tonſura conferri poteſt? *R.*

(1) In ſuperius laudato Conc. Aquiſgr. legitur: *Hoc*, ſcilicet abraſio capitis, *& Ezechieli Prophetae iubetur .... hoc & Nazaraeos illos Priſcillam, & Aquilam in Actibus Apoſtolorum primum feciſſe legitur: Paulum quoque Apoſtolum, & quoſdam diſcipulorum Chriſti, qui in huiuſmodi cultu mirandi extiterunt.*

(2) Conc. Trid. ſeſſ. 23. de Ref. c. 3. docet quales eſſe debeant, quibus clericalis tonſura confertur, his verbis: *Prima tonſura non initientur, qui Confirmationis Sacramentum non ſuſceperint, & Fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & ſcribere neſciant; & de quibus probabilis coniectura non ſit, eos non ſecularis iudicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum praeſtent, hoc vitae genus elegiſſe.*

R. De hac re nihil in Conc. Trid., & antiquioribus Synodis praescriptum legitur : maioris tamen Episcoporum partis more receptum, nemini honorem hunc deferendum, qui decimumquartum ad minus aetatis annum nondum attigerit.

In. Unde Clericorum nomen derivat?

R. A graeca voce Κλῆρος, quae *sortem*, vel *haereditatem* significat.

In. Cur Clerici dicuntur, qui primam tonsuram acceperunt?

R. *Propterea*, inquit Hieronymus (1), *vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, idest pars Clericorum est* (2).

In. Quotuplex est tonsurae clericalis effectus?

R. Quadruplex :

I. Est praeparatio ad ordines.

II. Qui tonsura sunt insigniti, ordini ecclesiastico accensentur.

(1) Epist. 2. ad Nepotianum.

(2) *Qui autem*, sequitur idem Doctor Maximus, *vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & a Domino possideatur.*

III. Consequens inde est, ut de foro Ecclesiae sint, & omnibus Cleri privilegiis gaudeant.

IV. Ut ad beneficia Ecclesiastica capessenda ius habeant.

In. Quaenam sunt Cleri privilegia?

R. Unum dicitur *Canonis*, & alterum *Fori* (1).

In. Quodnam est *Canonis* privilegium?

R. Est illud expressum in canone *Si quis suadente diabolo*, quo sub excommunicationis poena Summo Pontifici reservata interdicitur, ne manus violentae in Clericum iniiciantur.

In. Quodnam est privilegium *Fori*?

R. Est illud expressum in verbis Episcopi tonsuratos ita alloquentis: *Hodie de foro Ecclesiae facti estis*.

In. Quid requiritur, ut ipsi gaudeant Cleri privilegiis?

R. Ut fori privilegio gaudeant, iuxta Concilium Tridentinum (2) necesse est, ut I.

(1) Conc. Trident. sess. 23. de Ref. c. 6.
(2) Sess. 23. de Ref. c. 6.

I. beneficium ecclesiasticum habeant; vel hoc non habentes

II. ut clericalem habitum, & tonsuram deferentes alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviant;

III. vel etiam, ut in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi versentur (1).

In. Quidnam tonsurae clericalis gestatio significat?

R. Huiusce ritus caussae plurimae a Theologis afferuntur:

I. est regia dignitas, quae iis longe excellentius (2) convenit, qui in sortem Domini sunt vocati:

(1) Haec omnia non coniunctim, sed divisim, ut ex verbis ipsis eruitur; & ad maiorem expressionem S. Concilii Congregatio an. 1595. die 11. Iulii sic declaravit. Notandum insuper est, quod dum Clericus privatur Fori privilegio ex defectu cuiusdam ex iis requisitis, gaudet tamen privilegio Canonis, ut declaravit ipsa S. Congregatio.

(2) Dixi *longe excellentius*, quia regia dignitas fidelium etiam omnium vera ratione communis est, dicente Petro de omnibus: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium* 1. Petr. 2. 9.; & Joanne in Apocalypsi 1. 6. *Fecit nos* (Christus) *regnum Deo, & Patri suo.*

II. rerum externarum, & temporalium facultatum contemtus (1):

III. vitae poenitentis significatio, quam clerici pro officio amplectuntur, tum ut sibi, tum ut ceteris Deum placatum efficiant (2).

In. Curnam tonsura in modum coronae disposita est?

R. Duplici ex caussa:

I. In memoriam Spineae Coronae D. N. J. Ch.

II. Ad significandam clericalem perfectionem, quod circulus figurarum omnium est absolutissima (3).

In.

(1) Quando enim capilli resecantur, significatur terrestrium omnium desideriorum, ac vitiorum excisio, veterisque expoliatio hominis: *quam renovationem* (inquit S. Isidorus Hispalensis de Offic. Eccl. lib. 2. cap. 4.) *in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi mens noscitur habitare:* indeque est, quod Episcopus Deum pro initiandis exorans, *ut donet eis*, inquit, *Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eis perpetuum conservet, & a mundi impedimento, ac seculari desiderio corda eorum defendat.*

(2) Poenitentes antiquitus tonderi solebant.

(3) *Rotunditas* (inquit Auctor libri, cui titulus *Gemma animae* cap. 195.) *quae remanet*

In. Quid est superpelliceum, quo induuntur ab Episcopo tonsurati?

R. Est vestis clericalis solemnis lino albi coloris confecta in sacris functionibus adhibenda.

In. Cur superpelliceum dicitur?

R. Quia superimponitur vulgaribus Clericorum vestibus, quae olim pelliceae (1) erant.

In. Quid significat superpelliceum Clericorum?

R. Superpellicei candor innuit morum innocentiam, vitaeque integritatem; eoque induuntur ab Episcopo, ut intelligant, se a seculo ad sanctuarii ministerium esse translatos, adeoque novos homines esse debere (2).

In.

net crinium est ornatus virtutum: capilli vero in circulum coaequantur, quia omnes virtutes in caritatis concordia consummantur.

(1) Antiquitus apud eos saltem, qui hoc nomen induxerunt, pelliceae erant; idque, ut inquit Durandus in Ration. lib. 3. c. 1., *adhuc in quibusdam Ecclesiis observatur.*

(2) Hinc Episcopus Clericos induens sic precatur: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.*

In. Qualis Clericorum habitus primis Ecclesiae seculis?

R. Primis quinque seculis Clericorum vestes modestia tantum, non forma a communibus laicorum vestibus discreparunt (1).

In. Discreparuntne posterioribus seculis vestes Clericorum a laicorum vestibus?

R. Nemo inficiatur, in sequentibus seculis coepisse Clericos etiam in exteriori cultu a laicis discerni (2); ea-

(1) Id asserunt Sirmondus apud Labbeum Tom. 2. Concil. Thomassinus de vet. & nov. Eccl. discipl. part. 1. l. 2. c. 43., aliique eruditi; & colligunt ex epist. 4. num. 2. Coelestini I. data an. 428. ad Episcopos Provinciae Viennensis, & Narbonensis, ubi quosdam Sacerdotes reprehendit, qui, relicto habitu communi, *pallium* Philosophorum proprium assumserant, inquiens: *Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu.*

(2) S. Gregorius Turonensis, qui VI. seculo floruit Hist. Franc. lib. 5. c. 14. eam vestium distinctionem iam inductam innuit, dum ait: *Merovechus tonsuratus est, mutataque veste, qua Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur.*

eademque indumentorum differentia ante seculum VII. recepta fuit etiam in Ecclesia Orientali (1).

In. In quonam situm tunc temporis erat vestium clericalium a laicalibus discrimen?

R. Vestes Clericorum licet nondum a laicalibus in colore (2) discreparent, erant tamen oblongae, atque ad talos usque productae (3).

In. Ex quo tempore adhiberi a Clericis coeperunt vestes nigri coloris?

R. Concilia post Tridentinum celebrata Clericos maiorum Ordinum, aut ecclesiasticum possidentes benefi-

(1) Hoc autem constat ex Synodo Trullana an. 688., ubi legitur: *Qui in Cleri catalogum relatus est . . . . . utatur vestibus, quae iis, qui in Clerum relati sunt, attributae fuere.*

(2) Ita sentit Thomassinus de vet. & nov. Eccl. discipl. part. 1. l. 2. c. 46.

(3) Id ex pluribus coniicitur Conciliis. Germanicum auctoritate S. Bonifacii an. 742. celebratum vetuit can. 7. Presbyteris, & Diaconis, ne *Sago*, idest breviori veste, laicorum more uterentur. Synodus item Romana a Zacharia Papa an. 743. habita can. 3. idem praecepit.

ficium adegerunt ad gestandam vestem talarem nigri coloris (1).

DE MINORIBUS ORDINIBUS.

In. CUrnam Ordines nonnulli in Ecclesia dicuntur *Minores?*

R. Eiusmodi nomen nonnullis Ordinibus est inditum, quod Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris subiaceant, nec adeo prope ad Sacrum Altare accedant.

In. Suntne iuris ecclesiastici, aut divini?

R. Dici etiam possunt iuris divini eadem ferme ratione, qua ius gentium secundarium designari consuevit *iuris naturalis* nomine, quia illud ab isto dimanat.

In. Quid inde consequitur?

R. Quod Minorum Ordinum institutio

(1) Ad hunc colorem, quemadmodum notat superius laudatus Thomassinus, non erant Clerici certa lege antea adstricti, sed uti poterant alio quolibet colore, dummodo honesto, ac decenti.

tio partim humana ſit, partim divina.

In. Quomodonam dicitur *partim humana*, & *partim divina*?

R. *Humana*, quia Ordines iſti fuerunt ab Eccleſia inſtituti: *divina*, quia omnes ex Sacerdotio deducti, in quo eminenter, ut aiunt, continentur.

In. Quotuplex in Eccleſia Latina Minorum Ordinum eſt numerus?

R. Quadruplex: Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus.

In. Eſtne antiquiſſimus huiuſmodi numerus in Eccleſia Latina?

R. Antiquiſſimus certe, & a proximis ſaltem Apoſtolorum ſucceſſoribus inſtitutus, ut docet D. Thomas (1).

In.

(1) *Dicendum* (inquit D. Thomas in 4. diſt. 24. quaeſt. 1. art. 1. quaeſtiunc. 2. ad 2.) *quod in primitiva Eccleſia propter paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis committebantur . . . . . Nihilominus erant omnes praedictae poteſtates, ſed implicite in una Diaconi poteſtate. Sed poſtea ampliatus eſt cultus Divinus, & Eccleſia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diverſis.*

In. Quotuplex in Ecclesia Graeca Minorum Ordinum numerus?

R. Duo tantum sunt apud Graecos Ordines Minores, nimirum Lectoratus, & Subdiaconatus?

In. Quis ergo in Ecclesia Graeca ceterorum Ordinum functiones obit?

R. Partim Lectores, partim Subdiaconi, partim Diaconi (1).

In. Quaenam conditiones requiruntur in eo, qui Minores Ordines est suscepturus?

R. Latinam saltem linguam debet intelligere, ac spem afferre maioris scientiae, qua Maioribus Ordinibus suo tempore suscipiendis idoneus futurus credatur (2).

In.

(1) Vid. Isaac Habert observat. 1. ad part. 5. Liturgiae Ordinum in Pontific. Graecor. pag. 47., & Iacob. Goar Ord. Praedic. in notis in Euchologium Graecum pag. 238. col. 2.

(2) Ita statuit Tridentinum sess. 23. c. 11. Doctrinam, ac vitae meritum in iis, qui minoribus ordinibus sunt initiandi, quaerendum sanxit: *quod & bonorum operum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga Presbyteros, & superiores Ordines reverentia, & crebrior quam antea Corporis Christi communio maxime comprobabunt.*

In. Qua animi dispositione ad Minores Ordines promovendi debent accedere?

R. Praeter summam animi pietatem ac religionem mundi esse debent saltem a mortali, praesertim si ad Sacram Synaxim accedant.

DE OSTIARIATU.

In. QUid est Ostiariatus?

R. Est minorum Ordinum primus, per quem potestas confertur Ecclesiae fores dignis aperiendi, & indignis occludendi.

In. Quaenam eius est materia?

R. Remota illius materia sunt claves Ecclesiae; proxima, earumdem traditio ab Episcopo facta.

In. Quaenam eius forma?

R. Sunt ordinantis Episcopi verba: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quae his clavibus recluduntur* (1).

In. Hae claves tangendaene sunt ab ordinando?

C R.

(1) Ita Conc. Carthagin. IV. can. 9., & Pontificale Romanum.

R. Tangendae, & quidem tactu physico, ut tutior sententia fert.

In. Quaenam sunt Ostiarii officia?

R. I. Debet Ecclesiae ostia aperire, & claudere.

II. Dignos in Ecclesiam introducere, arcere indignos (1).

III. Cavere, ne divinorum officiorum tempore ad Sancta Sanctorum accedatur, nisi ad ministerium Altaris.

IV. Ne mulieres divinorum officiorum tempore in choro maneant iuxta Clerum.

V. Ne quid fiat in Ecclesia indecens, & indecorum (2).

VI. Curare, ut Ecclesia ipsa, & sacrarium, & sacra supellex, & altaria, & ornamenta, & imagines, & cetera, quae ad divinum cultum spectant, munda, nitidaque servenven-

(1) Indigni sunt infideles, haeretici, palam excommunicati, & interdicti.

(2) Scilicet cavere debet Ostiarius, ne confabulationes fiant, ne temere per Ecclesiam incedatur, ne quis exteriori habitu corporis adstantes offendat.

ventur, ut decet; & ne quidquam depereat eorum, quae intra Ecclesiam sunt.

VII. Pulsare campanas Ecclesiae (1).

VIII. Aperire librum ei, qui praedicat.

In. Nonne laici plerumque exercent haec Ostiariorum munera?

R. Exercent quidem ob clericorum defectum, non autem ex proprio officio, quod solis competit clericis (2).

In. Undenam eruitur huius Ordinis atque officii dignitas?

R. I. Ex praestantia ianitorum veteris Legis, qui erant Levitae nu-

 me-

(1) Officii huius exercitium coepisse fertur D. Paulini Episcopi Nolensis aetate; licet nonnulli defendant, id contigisse temporibus Sabiniani Pontificis, qui regnavit anno circiter 304.

(2) Licet officia illa non amplius exerceantur a clericis, uti olim fiebat; debent nihilominus, quoad fieri potest, ad pristinum usum revocari ex Conc. Trid. decreto sess. 23. c. 17., quo statuit, *ut Sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, & pluribus in locis aliquandiu intermissae, in usum iuxta Sacros Canones revocentur.*

mero CCXII. ad quatuor portas Domus Dei excubantes (1); ex quo colligere licet, quanto maior sit dignitas ianitorum novae Legis.

II. Ex Christi Domini exemplo, qui sacri Templi honori consulturus eiecit vendentes, & ementes, nec *sinebat*, *ut quisquam transferret vas per templum* (2).

In. Quaenam sunt virtutes Ostiariorum propriae?

R. I. Zelus domus Dei.

II. Exemplum rectae vitae.

III. Animi fortitudo.

IV. Mundities (3).

DE LECTORATU.

In. Quid est Lectoratus?

R. Est Ordo, per quem traditur potestas Veteris, & Novi Testamenti libros clara, & distincta voce legendi.

In.

(1) Lib. 1. Paralipomen. c. 9. v. 22.
(2) Marci 11. v. 16.
(3) Vid. Pontif Rom. in Ordinat. Ostiarii, ubi habetur: *Suscepturi &c.*

In. Quaenam eius materia?

R. Apud Graecos manuum impositio: apud Latinos materia remota est Sacrorum Librorum Codex; proxima, eiusdem traditio ab Episcopo facta.

In. Quaenam illius forma?

R. Apud Graecos oratio, quam fundit Episcopus manus imponendo: apud Latinos sunt verba ab Episcopo Codicem Sacrum porrigente prolata, nimirum: *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & utiliter impleveris officium, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

In. Quaenam sunt Lectoris officia?

R. I. Ipsius est, legere palam, & publice Scripturas Veteris Testamenti, & Scripta Patrum in solemnibus Ecclesiae officiis.

II. Olim Sacerdote divinas Scripturas ex suggestu interpretante, legebat Lector, quod Sacerdos (1) postea interpretaretur.

 III.

(1) Dixi *Sacerdos*, quia si Episcopus interpretaretur, legere tunc Diaconi erat.

III. Rudes, & pueros informare debet primis Christianae Fidei rudimentis (1).

IV. Potest, si ei demandetur, benedicere panem, omnesque novos fructus (2).

In. Quaenam sunt virtutes Lectorum propriae?

R. I. Amor, lectio, meditatio assidua Scripturarum.

II. Catechismi recte tractandi solertia.

III. Sedula oratio pro illis, qui catechizantur.

IV. Veritatis amor, & vitae exemplum, ut quod ore legunt, corde credant, atque opere compleant, auditoresque suos verbo pariter, & exemplo doceant (3).

DE

(1) Haec comprehendunt, quae circa symbolum Apostolorum, orationem dominicam, decalogum, sacramenta &c. traduntur in vulgatis catechismis, ac praesertim in Romano.

(2) Hodiernis tamen temporibus eiusmodi benedictio a solis Presbyteris peragitur.

(3) Omnia haec, scilicet officia, virtutesque Lectorum propriae videri possunt apud Pont. Rom. in admonitione Lectoris.

In. QUid eſt Exorciſtatus?

R. Eſt Ordo, per quem, invocato Dei vivi, & veri nomine, daemones ex energumenorum corporibus eiiciendi facultas confertur.

In. Quaenam eius materia?

R. Remota eſt exorciſmorum liber, ſive eius loco Pontificale, vel Miſſale, uti in Rubrica Pontificalis monetur; proxima vero, eius libri traditio (1).

In. Quaenam illius forma?

R. Verba ab Epiſcopo ordinante prolata in eiuſdem libri traditione, nempe: *Accipe, & commenda memoriae, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos ſive baptizatos, ſive catechumenos* (2).

(1) Ita Conc. Carthagin. IV. can. 7., Ord. Rom., aliiſque Ritualibus libris praeſcribitur.

(2) Quod ſpectat ritus in exorciſmis obſervandos, conſulendi libri Rituales, & Concilia Mediolanenſia I. & IV. ſub S. Carolo celebrata.

In. Quinam sunt energumeni?

R. Sunt ii, qui a daemone obsidentur, atque vexantur.

In. Quinam catechumeni?

R. Ii sunt, qui baptismum optantes, in religione, & doctrina christiana erudiuntur, ut instructi, ac probati baptizentur.

In. Quaenam sunt Exorcistarum officia?

R. I. Exorcizare daemones, & per impositionem manuum, & exorcismos Ecclesiae abiicere eos a corporibus baptizatorum, & catechumenorum (1).

II. Parare aquam, & salem, ceteraque necessaria ad benedictionem aquae, qua utitur Ecclesia ad exorcismos.

III. Parare item quidquid necessarium est ad exorcismos ab Episcopo, vel a Presbytero faciendos, ipsisque in hac functione adesse, & ministrare.

IV.

(1) Eiusmodi tamen officium iam fit ut plurimum a Sacerdotibus ad id ab Episcopo specialiter delegatis.

IV. Ferre vas aquae benedictae ad aspersionem.
V. Dicere populo, ubi opus est, ut qui non communicat, det locum.
VI. Aquam in ministerio fundere (1).
In. Quaenam sunt virtutes Exorcistarum propriae?
R. I. Spiritus gratiae, & precum, & mortificationis.
II. Cordis puritas.
III. Animi demissio (2).

DE ACOLYTHATU.

In. Quid est Acolythatus?
R. Est Ordo, per quem traditur potestas accendendi luminaria Ecclesiae, ferendi cande-

 la-

(1) Postrema haec duo officia in desuetudinem abiere.

(2) Caveant Exorcistae, ne iis careant virtutibus; etenim istis carentes sic expellent daemones a cordibus aliorum virtute orationum, & exorcismorum Ecclesiae, ut eos ad se introducant. Illis succumbent, quos ab aliis effugabunt. Vid. Pontif. Rom. in admonitione Exorcistarum.

labrum accensum ad altare, & parandi urceolos cum vino, & aqua, eosque porrigendi Subdiacono pro Missae Sacrificio.

In. Quaenam huiusce Ordinis materia?

R. Duplex est materia remota, nimirum candelabrum cum cereo extincto, & urceoli vacui; proxima vero, utriusque materiae porrectio facta ab Episcopo ordinante (1).

In. Quaenam illius forma?

R. Forma utrique materiae accommodata eo ipso tempore ab Episco-

(1) Sic Conc. Carthagin. IV., veteres Officior. Ecclesiast. Scriptores, libriq. omnes Rituales tum antiqui, tum recentiores praescribunt.

Acolythis olim, dum ordinabantur, sacculus ab Episcopo porrigebatur, quem in Missa Pontificia gestare solebant ad excipiendas oblationes consecratas, tum quae ad fidelium communionem ipso Sacrificii tempore frangebantur, tum quae sub mystico *Fermenti* nomine ad Titulos, seu Parochias Urbis Romae in signum caritatis, unitatis, & concordiae diebus dominicis distribuebantur. Huiusce consuetudinis gravissimum habemus testem Innocentium I. Pont. Max. ep. ad Decentium apud P. Coustantium vigesima quinta n. 8.

ſcopo pronuntiatur, quo ſingillatim tangit ordinandus inſtrumenta ſui ordinis propria; ſcilicet

I. Tangenti candelabrum cum cereo manu dextera inquit Epiſcopus:

I. *Accipe ceroferarium cum cereo, & ſcias, te ad accendenda Eccleſiae luminaria mancipari in nomine Domini.*

II. Tangenti vero urceolos vacuos dicit:

II. *Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum, & aquam in Eucbariſtiam Sanguinis Chriſti in nomine Domini.*

In. Cur cereus traditur extinctus, & urceoli vacui?

R. Ut indicetur, Acolythi munus eſſe accendere cereos in Sacris peragendis, & praeparare vinum, & aquam pro Miſſae Sacrificio.

In. Quid ſignificat Acolythi nomen?

R. Quos *Acolythos* communiter appellamus, alii malunt *Acolutos* dicere. Α'κώλυτος graece idem eſt, quod latine *non probibitus*, ideſt ab

altaris ministerio non semotus (1): Ἀκόλουθος vero idem est, ac latine *assecla*, vel *comes*, ac *famulus* (2).

In. Quot erant Acolythorum classes Romae primis Ecclesiae temporibus?

R. Tres. Acolythi alii erant *Palatini*, alii *Stationarii*, alii *Regionarii*.

In. Quodnam erat Palatinorum officium?

R. Summo Pontifici inserviebant in Palatio Apostolico, atque in Lateranensi Basilica.

In. Undenam dicti erant Stationarii?

R. A stationibus, quia iis incumbebat

(1) Olim inferioribus clericis ad Sanctuarium propius accedere, & sacrificanti ministrare non permittebatur, solisque Acolythis hoc concessum erat, qui propter sui ordinis necessarias functiones arceri a sacra mensa non poterant.

(2) Acolythi ideo dicti, quia ministros maiores Subdiaconos, & Diaconos in sacro ministerio comitantur, eorum lateri indivulse haerent, iisque operam dare tenentur, ampullas cum vino, & aqua ad Sacrificium admovendo, thuribulum, & accensos cereos deferendo, ceteraque demum sui officii exequendo.

bat inservire Pontifici in iis Ecclesiis, in quibus de more stationes habebantur.

In. Cur vocabantur Regionarii?

R. Quia ipsorum erat inservire Diaconis in illorum regionibus sacrarum functionum tempore.

In. Quaenam sunt Acolythorum officia?

R. I. Accendere Ecclesiae luminaria.

II. Ceroferaria, vel intortitia in publicis Ecclesiae officiis deferre.

III. Thuribulum ferre, & thurificare.

IV. Ignem, & thus parare.

V. Vinum, & aquam ad Eucharistiam parare, & ministrare Subdiacono (1).

In. Quaenam sunt virtutes Acolythorum propriae?

R. Ita lucere debet eorum lux, idest fi-

(1) Vigebant olim & aliae functiones Acolythorum iam obsoletae, ut constat ex veteri Ordine Rom. Tom. 2. Mul. Ital. pag. 4. 5. 6. 8. 10. 12. 13., ut videre est apud Franciscum Amat. Pouget Instit. Catholic. Tom. 2. cap. 7. §. 8.

fides, & caritas coram hominibus, ut videant opera eorum bona, & glorificent Patrem Deum, qui in caelis est (1); cuius plane lucis fructus est, ut inquit D. Paulus (2), *in omni bonitate, & iustitia, & veritate*.

DE SUBDIACONATU.

In. Quid significat vox *Subdiaconus?*

R. Significat *Subministrum*, quia Subdiaconus Diacono inservit.

In. Estne antiquissima Subdiaconatus institutio?

R. Ex Ecclesiasticis monumentis constat, tertio seculo septem Romae Dia-

(1) Vid. Pontif. Rom. in Ordinat. Acolythorum, quibus maxime curandum est, ut adimpleant, quae Episcopus in illorum ordinatione praemonuit: *Estote igitur soliciti in omni iustitia, bonitate, & veritate, ut & vos, & alios, & Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei Sacrificio digne vinum suggeretis, & aquam, si vos ipsi Deo Sacrificium per castam vitam, & bona opera oblati fueritis.*

(2) Ad Ephes. cap. 5. v. 9.

Diaconos, totidemque fuisse Subdiaconos (1).

In. Quid est Subdiaconatus?

R. Est Ordo Sacer, per quem datur potestas praeparandi, ac deferendi calicem cum patena, legendi epistolam, & inserviendi Diacono in solemni Missae Sacrificio.

In. Estne Ordo Maior, & Sacer?

R. Ita sane (2); sed ab initio, & per

(1) Id habetur in epistola S. Cornelii Pontificis Max. & Martyris ad Fabium Episcopum Antiochenum relata ab Eusebio in historia Ecclesiastica lib. 6. cap. 43. Subdiaconorum pariter meminerunt epistola ad Antiochenos sub S. Ignatii nomine; Constitutiones Apostolicae l. 8.; Concilium Laodicaenum can. 21., aliique numero longe maiore Scriptores.

(2) Pro Maiore, & Sacro sine controversia est habendus Subdiaconatus;

I. tum quia stabilitatem sine spe retroeundi importat:

II. tum quia perpetuam castitatem habet adnexam:

III. tum quia ministerium eius speciali quadam ratione est sacrum. Vid. S. Thom. in 4. dist. 24. quaest. 2. art. 1. Quum enim prius extra altare, & Sanctuarium conferretur, ut constat ex Amalario lib. 2. de Divin. offic. cap. 6. (quod etiamnum a Graecis & Orientalibus ob-

per aliquot deinceps fecula Subdiaconatus minoribus ordinibus accenfebatur, nec ei adnexum erat votum caftitatis; feculo autem XII. (1) lege univerfali Ecclefiae Latinae ubique recepta ad maiores Ordines evectus fuit (2), ut fuperius adnotavimus.

In.

obfervatur); Epifcoporum poftea quorumdam confuetudo invaluit, Subdiaconos intra Miffarum folemnia confecrandi, atque ita maioribus Ordinibus fenfim eft aequiparatus: *fenfim*, inquam; longum enim tempus interceffit, priufquam honorem hunc firma, ac generali lege confequeretur.

(1) Huius rei teftis eft Petrus Cantor feculi XII. Scriptor, qui obiit anno 1197. Hic de Subdiaconatu fic loquitur apud Hugonem Menardum in notis ad Sacramentarium S. Gregorii Magni: *De novo inftitutum eft, Subdiaconatum effe Sacrum Ordinem*. Confulantur Io. Morinus de Sacr. Ordinat. par. 3. exerc. 12., & Card. Bona rer. liturgic. l. 1. c. 25.

(2) Poft Urbani II. difpenfationem obtinuit, ut Subdiaconi abfque difpenfatione poffent ad Epifcopatum libere promoveri, quod aliquanto ante Innocentium III. ufu videtur inductum, cum praefertim lex continentiae Sacris Ordinibus impofita non multo poft Urbanum II. ita confirmata fuiffet etiam in Subdiaconis, ut exinde tanquam ex Sacro Ordine impedimentum matri-

In. Eſtne Sacramentum?

R. Probabilior ſententia fert non eſſe Sacramentum (1).

In. Quaenam materia Subdiaconatus?

R. Remota eſt calix vacuus cum patena vacua, & Epiſtolarum liber; proxima vero eſt traditio calicis cum patena, & libri Epiſtolarum.

In. Quare traditur calix vacuus, & patena vacua?

R. Ad ſignificandam poteſtatem, quam habet Subdiaconus praeparandi panem, & vinum pro Euchariſtiae conſecratione.

In. At quid dicendum, ſi eſſet calix cum

trimonii dirimens oriretur. Ita ad elevandum Subdiaconatum ad gradum maiorem duae concurrerunt rationes, nimirum continentiae lex ſolemnius conſtituta, & libera facultas eligendi Subdiaconos ad Epiſcopatum, ad quem ex veteri diſciplina ſoli Clerici in Sacris conſtituti eligi debebant.

(1) Non eadem a Graecis, atque Latinis materia uſurpatur, quod argumentum non leve eſt, verum in ſe, & formaliter Sacramentum non eſſe; Graeci, & Orientales ſola manuum impoſitione Subdiaconos conſecrant; quod apud Latinos vetitum eſt. Vid. Benedictum XIV, in ſua Dioec. Syn. lib. 8. c. 9.

cum vino & aqua, & patena cum hostia; validane esset materia?

R. Dissident inter se Theologi; probabilius videtur non esse apta materia, cum non significet potestatem Subdiaconi, sed Sacerdotis; haec enim est materia propria Ordinis Sacerdotii.

In. Traditio Libri Epistolarum estne de essentia Subdiaconatus?

R. Minime (1), ut probabilior sententia fert; eoque vel minus urceo-

(1) Huiusce traditionis nec mentionem ingerunt Graecorum Euchologia, nec veteres Latinorum libri Rituales ante quadringentos ab hinc annos descripti; quandoquidem huiusce ritus nullam faciunt mentionem Concilium Carthaginiense IV., nec antiqua Ritualia, nec S. Isidorus in libris de Ecclesiasticis officiis, nec Rabanus Maurus, & alii bene multi, quos Morinus sacra eruditione apprime versatus enumerat; quorum certe silentium demonstrat, Subdiaconos antiquitus non legisse ex officio Epistolam in publicis Ecclesiae conventibus, sicuti diserte testantur Amalarius lib. 1. de officiis cap. 11., Micrologus, & alii. Hinc Epistolarum librum, & formam, qua is ab Episcopo traditur, ad Ordinis integritatem, non ad essentiam pertinere contendunt. In praxi tamen utraque materia adhibenda est, & ab ordinandis tangenda.

ceolorum cum vino, & aqua, & manutergio ab Archidiacono receptio.

In. Quaenam forma?

R. Sunt verba ab Episcopo prolata in traditione materiae.

In. Indica eiusmodi formam in traditione Calicis vacui cum patena vacua?

R. Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.

In. Indica alteram formam, dum Episcopus librum tradit Epistolarum?

R. Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.

In. Vestes propriae Subdiaconi quaenam sunt?

R. Amictus, Alba, Cingulus, dein Manipulus, postremo Tunica.

In. Quaenam ex iis sacris indumentis accipiunt Subdiaconi ab Episcopo?

R.

R. Amictum, Manipulum, & Tunicam albi coloris (1).

In. Quid est *Amictus*, quo caput primum, deinde collum tegitur?

R. Est velut galea salutis, quam ex Apostoli (2) praecepto accipere debent ad expugnandos diabolicos insultus.

In. Quid monet haec vestis?

R. Coercendam esse oculorum, ac vocis lasciviam.

In. Quid significat *Alba?*

R. Alba indicium est candoris, quo fulgere debent Sacerdotum, ac Ministrorum mores.

In. Quid per *Cingulum* designatur?

R. Castitas secundum id, quod ait Dominus, *Sint lumbi vestri praecincti* (3).

In. Per *Manipulum* quid significatur?

R.

(1) Ita praescribit Pontificale Romae ann. 1752. iussu Bened. XIV. editum, & auctum tit. *de Ordinat. Subdiaconi*; quod repetit in tit. *de Diac.*, *&* *Presbyt. ordin.*

(2) Ad Ephes. 6. 17., & 1. ad Thessal. 5. 8.

(3) Lucae 12. 35. *Lumbos praecingimus*, inquit D. Greg. M. homil. 13. in Evang., *cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*.

R. Fructus bonorum operum (1), vel labor poenitentiae.

In. Quid monet *Tunica Subdiaconalis?*

R. Ministrandum altari cum interiori laetitia, quae a iustitia, ac pietate separari non potest (2).

In. Cur Subdiaconus gestat manipulum in brachio sinistro?

R. Ut brachium dexterum sit ad ministrandum Diacono magis expeditum.

In. Quae sunt officia Subdiaconi?

R. Praecipua sunt:

I. Diacono in Missa solemni proxime inservire:

II. Epistolam inter Missarum solemnia legere:

III. Calicem, & patenam in Sacrificii usum Diacono offerre:

IV. Panem, & vinum in usum Sacrificii praeparare (3).

Mi-

(1) Pontif. Romanum in Ordinat. Subdiac.
(2) Pontif. Romanum in Ordinat. Subdiac.
(3) Praecipua Subdiaconorum munia apud Graecos sunt: I. Tempore tremendi Sacrificii portas Sanctuarii custodire, ne quis profanus intre-

Minus praecipua autem sunt:

I. Crucem in Processionibus praeferre:

II. Sacra linteamina, nempe pallas, corporalia, & purificatoria, abluere:

III. Oblationes, quae Sacerdoti offeruntur a populo, suscipere, & ex illis tantum in altari ponere, quantum populo sufficiat (1).

In. Quae Subdiaconi obligationes?

R. Tres: Obligatio Tituli (2); obliga-

troeat: II. Edictum prolatum a Diacono de Catechumenis, aliisve immundis a Templo arcendis executioni mandare: III. In Mensa Propositionis ad Sacrificii celebrationem vasa sacra disponere, quae postea a Diacono ad altare deferuntur, quaeque deinceps tangere, praesertim quando Corpus Christi, eiusque Sanguinem continent, Subdiacono non licet: hinc in Concilio Laodicaeno seculi 4. can. 21. sancitum, *Quod non oportet, Subdiaconos locum habere in diaconiis, & sacra vasa contingere.*

(1) Vid. admonitionem Episcopi in Pontificali descriptam.

(2) Titulus vel in beneficio, vel in patrimonio, vel in Evangelicae paupertatis communi vita fundatur, ne scilicet cura, aut sollicitudine rerum temporalium a sacro ministerio distrahantur. I. Nullum alium praeter beneficii titulum Ecclesia longo seculorum decursu admisit,

gatio Castitatis (1), & obligatio Officii recitandi.

In.

sit, ut nemo ad Ordines promoveretur, nisi in servitium alicuius Ecclesiae, cuius servitii caussa beneficia fuerunt instituta; quo sensu vulgatum illud, *beneficium propter officium*, scilicet propter servitium Ecclesiae. II. In Conc. Lateran. III. Sub Alexandro III. can. 5. an. 1179. coepit titulus patrimonii ex dispensatione permitti; quam deinde concessionem S. Trid. Synodus confirmavit sess. 21. c. 2. de Ref. III. In paupertatis tituli acceptatione observandum, quod a S. Carolo ex mente S. Pii V. in secundo Provinciali Mediolanensi Concilio sancitum est: *Ut*, inquit, *quod Summus Pontifex Pius V. in explicatione decreti Concilii Tridentini, quod est sess. 21. cap. 2. constituit, executionem habeat, Episcopus nec Clericum ullum Regularem, neque Secularem, qui Regularium more in communi vitae disciplina sit, beneficiumque Ecclesiasticum non habeat, Ordinibus Sacris adscribat, nisi a Superiore fidem ille attulerit, se Religionis, cui adscriptus est, Professionem confecisse.*

(1) In Ecclesia Latina primis seculis Subdiaconos ab usu matrimonii ante ordinationem contracti abstinere iussos non fuisse lege saltem generali, quae nimirum ubique in omnibus eius provinciis obtineret; sed diversam fuisse diversarum Ecclesiarum consuetudinem, (donec Subdiaconatu Sacris, & Maioribus Ordinibus adnumerato perpetuae continentiae lex Subdiaconis fuit universim imposita) antiquorum canonum discrepantia manifesto probat. Sed post annum

mil-

In. Curnam Ecclesia neminem secularem Clericum vult sacris initiari,

millesimum auctis Subdiaconorum honoribus, eoque Ordine maioribus, & sacris adnumerato, quae nunc viget praxis, ubique obtinuit, Subdiaconos ad perpetuam continentiam adigendi, ut constat ex variis Conciliorum Sanctionibus, & primo Concilii Melfitani an. 1090., Londinensis an. 1102., Lateranensis I. an. 1122., Lateranensis II. an. 1139., & Lateranensis III. an. 1179., ac demum Trident. Conc. sess.24.can.9. In Orientali vero Ecclesia nunquam licuit Episcopis, nec etiamnum licet uti matrimonio ante ordinationem contracto. Eamdem observarunt disciplinam Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi sex dumtaxat Ecclesiae seculis: sexto elapso seculo Graeci & Orientales veterem disciplinam emollire coeperunt, clericiqu omnes, solis exceptis Episcopis, eximi lege coelibatus, nimirum matrimonii ante contracti usus Graecis & Orientalibus Presbyteris, ceterisque sacris ministris ita fuit concessus, ut si in viduitatem inciderint, ad secunda vota transire nullatenus permitterentur; & Romana Ecclesia illos ab usu matrimonii ante Subdiaconatum tamen contracti non abstinentes non ideo anathemate feriit, sed patientissime toleravit, ac tolerat, immo ad communionem suam admittit. Videatur hac super re Hyacinth. Drouven de Re Sacramentaria T. 2. lib. 8. sect. 3. §. 11. 12. per totum.

Adiiciendum insuper, quod apud Graecos Diaconis, si in ordinatione contestati essent, non posse continentiam servare, concessum aliquando

ri, nisi aliquem titulum ad honestam eius sustentationem sufficientem habeat?

R. Ut Ecclesiae Ministri de victu & vestitu minime soliciti rebus divinis, & studio libere vacare queant, nec ob defectum honestae sustentationis mendicare, aut turpem aliquem quaestum exercere cogantur.

In. Quot sunt tituli Sacrae Ordinationis pro Clericis secularibus?

R. Duo, titulus beneficii idonei pacifice possessi; & titulus pensionis, aut patrimonii.

In. Quale est beneficium idoneum?

R. Est illud, quod eam annui red-

D di-

do fuit post ordinationem uxores ducere, uti colligitur ex Concil. Ancyr. an. 314. can. 9. iuxta versionem Dionysii Exigui. Id vero nusquam in Ecclesia ipsa Graeca Episcopis, & Presbyteris licitum fuit post ordinationem, uti colligitur ex can. 1. Conc. Neocaesar. an. 314., licet, ut superius quoque innuimus, licitum fuisset & Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas, ut patet ex can. 13. Concilii Trullani.

ditus quantitatem affert, quae taxae ab Episcopo loci praescriptae respondet; vel deficiente Episcopi decreto, aut Synodi Dioecesanae statuto, ad loci consuetudinem exigitur.

In. Curnam dixisti *pacifice possessi?*

R. Quia Tridentina Synodus (1) statuit, ut eiusmodi beneficium a Clerico pacifice possideatur.

In. Quandonam deest pacifica possessio?

R. Quando beneficium tametsi conferendum, nondum tamen collatum est; vel si sit collatum, in quaestionem venit.

In. Quid est pensio?

R. Est ius percipiendi annuos fructus ex beneficio alterius.

In. Quid patrimonium?

R. Patrimonii titulo significatur fundus Clerico assignatus, ex quo annuos fructus percipiat.

In. Clericus ergo, qui pensionem sustentationi congruam obtinuit, vel qui

(1) Sess. 21. c. 2. de Ref.

qui patrimonium potest constituere, poteritne ad Subdiaconatum promoveri?

R. Poterit quidem, dummodo ab Episcopo iudicetur vel necessarius, vel utilis Ecclesiae (1).

In. Quae aetas ad Subdiaconatum requiritur?

R. Ex Conc. Tridentino (2) ante vigesimum secundum aetatis annum inchoatum nemo licite ordinari potest.

In. Quantum temporis intervallum inter postremum ordinem mino-

D 2 rem,

(1) Tridentina Synodus sessione eadem dum pensionis, vel patrimonii titulum admisit, ut custodiretur, quoad fieri potest, veterum canonum mens, & spiritus disciplinae, ita sapientissime sanxit: *Patrimonium, vel pensionem obtinentes ordinari non poterunt, nisi quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate Ecclesiarum suarum*.

(2) Sess. 23. de Ref. cap. 11. Clericus ante illam aetatem ad Subdiaconatum promotus, ipso facto suspensus est; & si Ordinem exerceat, fit irregularis, etiamsi illum exerceret post completam aetatem, cum completa aetas suspensionem antea contractam nequaquam ademerit.

rem, & Subdiaconatus fufceptionem debet intercedere?

R. Solidi anni interftitium eft fervandum ex Concilii Tridentini praefcripto (1).

In. Damnandufne eft facrilegii, qui cum confcientia peccati lethalis Subdiaconatus ordinem fufcipit?

R. Bened. XIV. in fuo aureo Opere de Synod. Dioecef. monet Epifcopos, ne indubitanter facrilegii damnent hunc, ne tali pacto controverfiam ignorare, aut illam videantur decidere (2).

In.

(1) Seff. 23. de Ref. cap. 11. Epifcopus tamen ex neceffitate, vel utilitate Ecclefiae difpenfationem poteft impertiri. Si quis vero fine difpenfatione (legitima tamen aetate, legitimoque ordinationum tempore) Ordinem hunc Sacrum, ceterofque reciperet, non fervatis interftitiis, graviter quidem peccaret, fed nec fufpenfionem, nec recepti ordinis exercitio irregularitatem incurreret, quemadmodum incurrit Clericus, qui ante legitimam aetatem, ut fuperius adnotavi, vel extra legitimum ordinationum tempus fine Apoftolica difpenfatione Sacros Ordines reciperet.

(2) Vid. Synod. Dioecef. lib. 8. cap. 9. num. 12.

In. Quibus virtutibus ornatus debet esse Subdiaconus?

R. Praecipuae sunt mentis, ac corporis puritas, quam significant corporalia, quibus lavandis operam dat; animi demissio a sui nominis etymo demonstrata; & sensuum mortificatio designata a Cruce, quam ipse praefert in supplicationibus.

In. Ordinatus per saltum estne valide ordinatus?

R. Valide est ordinatus, quia potestas ordinis inferioris continetur in potestate Ordinis superioris.

In. Afficiturne aliqua poena?

R. Poena suspensionis ab usu ordinis ita per saltum suscepti (1).

 In.

(1) C. un. *de Clerico per saltum promoto*. Si tamen hic Clericus non ministraverit, potest Episcopus ex legitima caussa cum eo dispensare ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 14. de Ref. Laudata Decretalis *de Clerico per saltum promoto* loquens de eo, qui Presbyter fuerat ordinatus, Diaconatu praetermisso, exigit, ut dispensatione eidem concessa, non antea ministret in Sacerdotio, quam Diaconatus omissus ei confera-

In. Peracta ordinatione, quid imponitur Subdiacono faciendum?

R. Episcopus imponit illi, ut recitet nocturnum eius diei; quod quidem dicendum est separatim ab officio diei eiusdem.

In. Quid intelligi debet nomine *Nocturni talis diei* a Subdiaconis recitandi ex Episcopi praescripto?

R. *Nocturni* nomine intelligi debet officium Nocturnum. *Nocturnum* autem *talis diei* (1) dicit, nimirum Nocturnum feriale eiusdem diei.

In. At quid, si Subdiaconi ex benefi-

ratur. Idem faciendum putatur, si aliqui minores ordines, aut Subdiaconatus per saltum fuerit omissus. Veterem hac in re, recentioremque disciplinam explicat Morinus de SS. Ordinat. p. 3. exercit. 11. c. 2.

(1) Ita accuratiora Pontificalia, inter quae editum Romae an. 1752. iussu Benedicti XIV.; licet nonnulla habeant *huius diei*. Nocturnum autem *talis diei* dicit, non *huius-festi*, quia in ordinationibus, etiamsi occurrat festum, de quo celebretur officium duplex, & eo amplius ex. gr. S. Matthaei, vel S. Thomae &c., Missa tamen ordinationis non est diei festi, sed feriae eius diei; ac propterea eiusdem diei *Nocturnum* feriale dicendum est a Subdiaconis ordinatis, ut Episcopo pareant.

ficio, vel aliunde obligati essent horis canonicis, & in diem ordinationis caderet officium feriae?

R. Nocturnum duplex eius feriae recitare deberent; unum, ut horarum canonicarum debito eidem diei affixo; alterum, ut Episcopi edicto satisfacerent: hoc tamen postremum in aliam diem potest transferri.

DE OBLIGATIONE PERPETUAE CONTINENTIAE.

In. QUaenam est haec obligatio?

R. Est integrae, & inviolabilis castitatis observatio (1).

In. Unde originem ducit castitatis obligatio Subdiaconis, ceterisque Sacris

(1) Haec aperte declaratur ex verbis Innocentii Papae III. in can. *A multis* de aet. & qualit. ord. praeficiendorum: *Erubescant impii, & intelligant iudicio Spiritus Sancti eos, qui in Sacris Ordinibus sunt positi, si caste non vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate: nemo ad Sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatae castitatis existat.*

cris Miniſtris impoſita, num ex divino, an ex eccleſiaſtico iure?

R. Ex iure eccleſiaſtico (1); hinc non ſemper ubique obſervata, & varietati expoſita: quod in inſtitutis divini iuris evenire non poterat.

In. Vetuſne eſt huius obligationis inſtitutio facta ab Eccleſia?

R. In tribus Sacris Ordinibus Diaconatu, Presbyteratu, & Epiſcopatu prioribus quidem ſeculis ex Apoſtolorum, & apoſtolicorum virorum ſuaſionibus, atque exemplis ſenſim inducta fuit, & tum apud Latinos, tum apud Graecos recepta. Subinde vero Graeci aliquanto remiſerunt quoad Diaconos, ac Presbyteros. Latina tamen Eccleſia, praeſertim Romana, huius diſci-

(1) Omnes Theologi docent adverſus Franciſcum Turrianum, coelibatus legem Sacris Miniſtris iniunctam nec divinam eſſe, nec proprie loquendo Apoſtolicam, ſed dumtaxat Eccleſiaſticam. Vid. multa apud Thomaſſin. de diſcipl. Eccl. part. 1. lib. 1. c. 43. & 44., & part. 2. lib. 1. c. 17. & 18., & part. 3. lib. 1. c. 26.

ſciplinae tenaciſſima, & vindex fuit (1).

In. Quiſnam primus Subdiaconis continentiae iugum impoſuit?

R. S. Leo (2); ſed cum haec coeli-

 ba-

(1) Hinc Romana Eccleſia contra abuſus curſu temporum inſurgentes canones, ac decreta edidit; quibus tandem effectum eſt, ut non ſolum prohiberentur matrimonia, quae a quibuſdam, ut ſuperius quoque adnotavi, poſt ſuſceptum Sacrum Ordinem quaſi licita contrahebantur; verum etiam ut impedimentum dirimens ex Sacro Ordine afferretur ſeculo XII., quo duo Concilia Lateranenſe I., & II. irrita ac nulla declararunt matrimonia a Sacris Miniſtris intentata.

(2) Id patet ex eius Epiſt. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem 12. alias 14., in qua ita S. Pontifex ſcribit: *Nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: ut qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares.* Hoc tamen S. Leonis decretum non videtur accurate ubique ſervatum, ne in Sicilia quidem Romae vicina; nam poſt exactum huiuſce S. Pontificis integrum ſeculum, & amplius, Pelagius II., qui ſexto Eccleſiae ſeculo regnavit ab anno nempe 577. ad annum uſque 590., & Gregorius I. proximus eius in S. Sede ſucceſſor ep. 42. lib. 1. & 34. lib. 3. Subdiaconos Siciliae adegerunt ad ſervandam continentiae legem. Immo neque Gregorii Magni ſtatutum firmum fuiſſe videtur in Ec-

batus diſciplina violari coepiſſet, D. Gregorius Papa noluit quidem eos, qui ſine profeſſione continentiae ad Subdiaconatum promoti fuerant, cogi, ut a ſuis uxoribus ſepararentur; ſed praecepit Epiſcopis, ut deinceps *nullum Subdiaconum facere praeſumerent*, *niſi qui* *ſe*

Eccleſia ipſa Romana; nam Concilium Romanum, quod an. 711. habitum fuit ſub Gregorio II. can. 1. 2. 3. damnat uxores Presbyterorum, & Diaconorum; de iis autem Subdiaconorum ſilet omnino. Complura quidem ſunt monumenta, quae afferunt Bellarminus de Clericis lib. 1. c. 10., & Thomaſſinus de diſciplina par. 1. lib. 2. a cap. 60. uſque ad cap. 66. incluſive, ut probent, uſu antiquo, & conſtanti receptam, probatamque in Eccleſia Latina maiorum Clericorum continentiam, ac nunquam licitum fuiſſe nec Epiſcopis, nec Presbyteris, nec Diaconis aut uxores ducere poſt ordinationem, aut antea ductis poſtea uti. Siricius in epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum data an. 395. legem continentiae maiorum, ſacrorumque miniſtrorum renovat, & confirmat, non omnium primus inducit. Innocentius I. tum in ep. 2. ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum cap. 9., tum in epiſt. 3. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum cap. 1. Siricii decretum iiſdem fere verbis repetit, & confirmat.

se victurum caste promisisset (1).

In. Quandonam constituta est universim haec continentiae lex, atque obligatio?

R. Seculo saltem XII., quo Subdiaconatus ad Sacrorum Ordinum evectus est dignitatem.

In. Num casu aliquo licebit, coniugatum vivente uxore ad Subdiaconatum, & ceteros Sacros Ordines promoveri?

R. Licebit, I. si uterque coniugum con-

(1) Hinc forte in ritum ordinationis Subdiaconi posterius inductum videtur, ut Episcopus moneat ordinandos Subdiaconos, ut attente considerent, num velint, dum hactenus liberi sunt, perpetuae continentiae onus subire; quod qui volunt, ad ordinationem accedant: *Hactenus enim*, inquit Episcopus Clericis secularibus ad Subdiaconatum promovendis, *liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad secularia vota transire. Quod si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire; sed Deo, cui servire, regnare est, perpetuo famulari, & castitatem illo adiuvante servare oportebit, atque in Ecclesiae ministerio semper esse mancipatos. Proinde cum tempus est, cogitate; & si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini huc accedite.* Post eiusmodi admonitionem qui accedunt, promissionis implicitae speciem exhibent.

consenserit solemniter in perpetuam separationem a thoro.

II. Si uxor iudiciali sententia declarata fuerit adultera; tunc enim potest eam maritus invitam dimittere, & sine illius consensu ad Sacros Ordines promoveri (1).

In. Cur hanc obligationem Ecclesia Sacris adnexuit Ordinibus?

R. Ut divinis officiis, ac procurandae proximi saluti expeditius vacent, qui militant Deo; & non implicent se negotiis secularibus.

In. Quid dicendum, siquis Subdiaconus ignoraret huic Ordini impositam ab Ecclesia castitatis obligationem? Teneretume servare?

R. Utique, quia qui vult principale, nempe Ordinem, vult etiam im-

(1) Id eruitur ex c. Constitutus *de convers. coniugat.* Vid. Remigius Maschat Institut. Canonic. Part. 2. lib. 4. tit. 6. quaest. 1. respons. 4.; & Lazarus Benedictus Migliorucci Inst. Iur. Can. lib. 1. tit. 23. *Qui promoveri non possint*, in suis Explicationibus (f) num. 24.

implicite, quod ei adnexum eſt; nimirum obligationem perpetuae caſtitatis.

In. Quid ſiquis Subdiaconatum recipiens per malitiam actu nollet ſe ad caſtitatem obligare?

R. Mortalem culpam patraret intentioni Eccleſiae in re gravi obſiſtens, ac deberet caſtitatem ſervare ſive ex voto adhuc implicito, ut quidam non improbabiliter contendunt, ſive ſaltem ex lege Eccleſiae, quae in Subdiaconatu hanc impoſuit obligationem.

In. At ſi ordinatus ita ſit animo affectus, ut ſi hanc obligationem adnexam ſciviſſet, noluiſſet ordinari? Tenereturne caſtitatem ſervare?

R. Teneretur, quia voluntas haec, qua ſub conditione noluiſſet Ordinem recipere, actu non extitit; adeoque irritam non reddidit ordinationem; unde teneretur caſtitatem ſervare ſaltem ex praecepto Eccleſiae, quae ob Sacrorum Ordi-

di-

dinum decus eam obligationem ipsis adnexuit.

In. Quid si clericus in Sacris constitutus matrimonium contrahere tentaret?

R. Praeter crimen sacrilegii, quod committeret non solum contra votum, sed etiam contra Sacramentum Matrimonii, quod irritum redderet, ipso facto in excommunicationem incideret Episcopo reservatam (1), & in suspensionem ab ordine (2).

In. At siquis post matrimonium ordinetur, dissolviturne matrimonium?

R. Non dissolvitur; & si absque uxoris, & Ecclesiae consensu fuisset ordinatus, incurrisset suspensionem ab ordinis suscepti exercitio, nec posset ad alios ordines ascendere; ac privaretur iure petendi debitum ab uxore, quae tamen ius suum non amisisset.

In. Obligatio haec castitatis perpetuae in-

(1) Clement. 1. *de consang. & affin.*
(2) C. *Sane* 2. de Cleric. coniug.

induitne voti solemnis rationem?

R. Induit utique; nam haec, aeque ac regularis professio, impedimentum affert dirimens matrimonium (1).

In. Quid est Votum?

R. Est promissio deliberata, & spontanea facta Deo de meliori bono (2).

In. Votum cuius virtutis est actus?

R. Est actus Religionis, quia per votum honor Deo exhibetur.

In. Quotuplex est votum?

R. I. Aliud est solemne, quod fit in conspectu Ecclesiae, & ab ipsa per Superiorem acceptatur:
aliud simplex, quod a persona privatim editur.

II. Insuper aliud est

I. Reale, quo res:

II.

(1) Trident. Conc. sess. 24. can. 7.

(2) Ad votum ergo requiritur plena deliberatio, ut vovens cognoscat id, quod promittit.

Vota fieri debent Deo; quare votum factum in honorem Sancti alicuius est votum improprium.

Votum esse debet de meliori bono, I. quia materia debet esse honesta, possibilis, libera, & non indifferens: II. quia maius bonum respicere debet.

II. aliud perſonale, quo perſonalis actio, vel omiſſio:

III. aliud mixtum, quo res, & actiones Deo offeruntur.

III. Pariter aliud eſt explicitum, quod certa formula editur:

aliud implicitum, ſeu tacitum, quod non emittitur verbis expreſſis, ſed affixum eſt alicui ſtatui, ut votum caſtitatis, quod edunt Subdiaconi.

In. Quinam valent vota edere?

R. Qui uſu rationis potiuntur, ac dominium habent earum rerum, quas Deo nuncupant.

In. Daturne parvitas materiae in violatione voti?

R. Datur in quibuſdam votis; non autem in violatione voti caſtitatis.

In. Quid eſt votum caſtitatis?

R. Eſt abſtinentia perpetua ab omni actu venereo tam interno, quam externo.

In. Quomodo peccatur in votum caſtitatis?

R. Delectatione, deſiderio, & actu.

In.

In. Quid eſt delectatio moroſa?

R. Eſt ſimplex complacentia deliberata poſt ſufficientem advertentiam (etſi unico inſtanti) admiſſa, ſeu approbata, ſine ordine ad actus.

In. Cur dicitur *moroſa?*

R. Ita vocatur non a mora temporis, ſed voluntatis, quae deliberate in delectatione ipſa moratur.

In. Cur adiungitur *ſine ordine ad actus?*

R. Ut diſtinguatur delectatio moroſa a deſiderio, quod fertur in operis executionem.

In. Qui contra caſtitatem peccaret, ſpecialene peccatum committeret ratione Ordinis?

R. Utique: peccaret etiam peccato ſacrilegii contra virtutem Religionis ex vi voti.

DE HORIS CANONICIS.

In. QUid eſt Officium Divinum?

R. Eſt certa formula mente ſimul, ac voce Deum laudan-

dandi, atque precandi ab Ecclesia instituta (1).

In. Cur Divinum Officium vocatur?

R. Officium ex Latini sermonis vi *munus* significat, quod cuique obeundum est. Cum vero in divinis laudibus contineatur munus, quod Deo potissimum est persolvendum, easdemque rite persolvens summam Dei maiestatem humili ac debito cultu prosequatur; hinc divini officii nomen dimanat.

In. Cur dicitur etiam *Breviarium?*

R. *Breviarii* (2) nomen ex eo inditum

(1) In omni officio sive de Sanctis, sive pro mortuis laudatur, oraturque Deus: eaque Ecclesiae lex, sive generalis consuetudo vim legis habens in iure divino fundatur. Clerici enim conditione ac statu suo sunt cultui divino consecrati, cuius maior pars in orandi, ac Deum laudandi exercitatione consistit: aequum ergo est, ut quorum omnis cogitatio in Deum, & de Deo esse debet, aliquot saltem diei horas in huius officii persolutione impendant. Vid. S. Thom. quodlibeto. 6. q. 5. art. 2.

(2) Patribus Franciscanis nomen hoc *Breviarii* referunt, qui sacris expeditionibus implicati divino officio compendium statuerunt. Alii vero centesimo circiter anno, priusquam Ordo Franci-

tum creditur, quod lectiones breviores ex Sacra Scriptura, & Patrum homiliis excerptas, & in dies singulos pro ratione temporum distributas, uno libro complectatur in Clericorum commodum.

In. Quot sunt Officii partes?

R. Septem. Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, & Completorium (1).

In. Cur septem recensentur Officii partes?

R. Septenarii numeri ratio assignatur in Scriptura, dicente David, *Septies in die laudem dixi tibi.*

In. Cur Officii partes *Horarum Canonicarum* nomine veniunt?

R. Dicuntur *Horae*, quia certis horis sunt

ciscanus approbaretur, divinum officium *Breviarii* nomine per omnes Urbis Ecclesias iam inductum colligunt ex epistola apologetica Petri Abaleardi contra S. Bernardum, ut videre est apud Benedictum XIV. Instit. Eccles. 24. n. 4.

(1) Notandum hic est, quod observat Radulphus Tungrensis, *Primam, & Completorium post aliarum horarum institutionem adhibita fuisse.*

sunt recitandae (1): *Canonicae*; quia per Ecclesiae canones sunt determinatae.

In. Cur Ecclesia in diversas diei horas divinum Officium distribuit?

R. I. Ut saepe mentem nostram erigamus ad Deum, atque orationis spiritum foveamus:

II. ut Domini praeceptum impleamus, quo dicitur, *Oportet semper orare* (2):

III. ut nostrae salutis mysteria a Christo Domino variis horis peracta frequentius memoria recolamus.

In.

(1) Ad tempus quod attinet, olim apud Iudaeos secabatur tempus in duodecim horas *diurnas*, totidemque *nocturnas*. Nocturnae horae dividebantur in quatuor *vigilias*, quarum prima incipiebat ab occasu solis, & desinebat hora tertia noctis: secunda vigilia a tertia ad sextam: tertia a sexta ad nonam: quarta vigilia, quae dicebatur etiam *matutina*, ab hora nona usque ad duodecimam, sive ad ortum solis. Quatuor nocturnis vigiliis respondent quatuor horae diei, nempe *prima*, *tertia*, *sexta*, *nona*; hisque horis consonant recensitae officii partes.

(2) Haec verba intelligenda tantum de iugi propensione, & desiderio, quod excitatur, & augetur ex frequenti actuali oratione.

In. Quid requiritur ad recitationem Officii?

R. Recitari debet Officium *studiose*, pariter ac *devote* (1).

In. Quid sibi vult vox illa *studiose*, & altera *devote?*

R. *Studiose*, inquit Glossa, quantum ad officium oris; *devote* quantum ad officium cordis.

In. Quodnam est oris officium in recitatione horarum?

R. Recitandae sunt horae Canonicae integre, ac perfecte sine contractione, atque abscissione syllabarum (2), & sine praecipitantia.

In. Quodnam est cordis officium?

R. I. Intentio orandi, ac laudandi Deum:

II. debita attentio mentis:

III. reverentia tam interna, quam externa.

In.

(1) In Conc. gen. Lateran. IV. cap. *Dolentes* de celebratione Missae.

(2) Pronuntiatio debet esse articulata, & sensibilis, seu per se audibilis recitanti, ut nempe recitans seclusis impedimentis seipsum possit audire.

In. Quid est intentio?

R. Est actus voluntatis, quo ipsa fertur ad orandum, & laudandum Deum (1).

In. Quid est attentio?

R. Est actus intellectus circa finem.

In. Quotuplex est attentio?

R. Triplex est, nempe *ad verba*, *ad sensum*, *ad mysteria* (2).

In. Quaenam attentio requiritur?

R. Sufficit attentio *ad verba*, dummodo coniuncta sit cum attentione interna (3).

In.

(1) In recitatione Officii requiritur intentio, seu voluntas orandi vel *explicita*, qua quis initio velit expresse orare, vel saltem *implicita*, qua velit recitare ad satisfaciendum praecepto Ecclesiae; in hac enim includitur intentio Deum orandi, ac laudandi, cum quidquid Ecclesia praecipit, sit Dei laus, & oratio.

(2) Sit exemplum. In voce *Ierusalem* attendi potest ad verbum, illam bene exprimendo; attendi potest ad eius significationem, quae denotat urbaem Palestinae; attendi potest ad mysterium, nempe ad caelestem gloriam.

(3) Ad satisfaciendum praecepto non solum requiritur, ut distincte, atque integre pronuntientur verba, (quae quidem est attentio externa) sed requiritur etiam attentio interna ad

De-

In. Eſtne neceſſaria etiam reverentia tum interna, tum externa?

R. Utique, quia Concilium Tridentinum iubet (1), ut Officium recitetur *reverenter*, *diſtincte*, ac *devote*; quae tria fruſtra addidiſſet, ſi praeciperet tantum reverentiam externam.

In. In quonam conſiſtit devotio?

R. In piis cordis affectibus, quibus orationis verba proſequentes nunc gemimus, nunc exultamus in Domino, nunc illi gratias agimus, nunc adoramus, compungimur, deprecamur &c. (2).

In.

Deum, ſeu res divinas, vel ad ſenſum verborum, vel ſaltem ad verba, ut laudes Dei, orationem, ac pias affectiones continentia, conſiderando Deum praeſentem cum pio, humilique ad ipſum affectu, & intendendo per illa Deum orare, ac laudare, atque omnem voluntariam diſtractionem reiiciendo.

(1) Seſſ. 24. cap. 12.

(2) Hanc orandi rationem docuit Auguſtinus in pſal. 30. enar. 4. n. 1. *Si orat pſalmus, orate: & ſi gemit, gemite: & ſi gratulatur, gaudete; & ſi ſperat, ſperate: & ſi timet, timete:* & alibi brevius, *Pſalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.*

In. Cum faciles ſint mentis diſtractiones, num ſemper in culpa erunt?

R. Diſtractio vel eſt involuntaria, vel voluntaria: involuntaria nec peccatum eſt, nec meritum tollit: voluntaria autem culpabilis eſt, & orationem inficit.

In. Quotuplici modo poteſt eſſe voluntaria diſtractio?

R. Duplici, nimirum vel *in ſe*, vel *in cauſſa*.

In. Quando erit voluntaria *in ſe?*

R. Cum quis aliud conſulto cogitare vult inter orandum; vel cum diſtractionem advertens ſe ſe quamcitius colligere, & ad Deum redire negligit.

In. Quandonam erit voluntaria *in cauſſa?*

R. Cum quis non removet impedimenta, quibus mens alio avocatur, ut illi faciunt, qui Officium recitant in loco diſtractionibus expoſito, ex. gr. in ianua ſecus viam publicam, ad feneſtram, in foro, aut alibi, ubi eſt concurſus, cla-

mor,

mor, strepitus hominum, aut ubi habentur disputationes, ludi &c.

In. Estne peccatum separare Matutinum a Laudibus?

R. Nullum peccatum est (1).

In. Satisfacitne, qui totum Officium simul recitat?

R. Ita plane; peccat tamen venialiter, si eum legitima caussa non excuset.

In. Satisfacit, qui Horas postponit?

R. Maxime; sed venialiter peccat, nisi adsit iusta caussa.

In. Quale Officium est recitandum?

R. Recitandum est illud, quod diei correspondet iuxta ritum suae Ecclesiae, & Ordinis (2).

(1) Ex primaeva institutione semper licuit haec separatio, nullaque occurrit ratio, cur id non liceat extra chorum praesertim. Immo satius est, si qui sub initium nocti , seu ad vesperam nocturnas horas recitant, Laudum recitationem dimittant ad sequentis aurorae diluculum, ut hymni opportuno tempore iuxta eorum sensum recitentur. Ita Concina in sua Theol. Christ. lib. 3. in primum Dec. mand. diss. 6. de hor. can. cap. 3.

(2) Officium recitandum est iuxta breviarium

In. Valetne Officium pro Officio?

R. Valet, si id oriatur ex inadvertentia; mutans vero Officium advertenter, peccat mortaliter. Qui vero erravit in aliquibus Horis, tenetur supplere, quod omisit, ubi id advertit (1).

In. Quinam excusantur a recitatione Officii?

R. Graviter infirmi, impotentes, ut coecitate, vel carentia Breviarii, & legitime dispensati. Excusantur etiam illi, quibus superveniret gravis, & repentina occupatio, quae sine scandalo, vel notabili damno proprio, aut alieno omitti, aut differri non posset. Advertendum, quod qui non potest totum Officium

rium sub Pio V. editum, & ab Urbano VIII. reformatum, & ad normam Kalendarii Dioecesani. Excipiuntur tamen Regulares illi, qui peculiare habent breviarium a S. Sede approbatum; vel Capitula illa, quae ducentis annis ante Pii V. editionem Breviarium proprium habebant.

(1) Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto*.

eium recitare, sed potest eius partem, ad eam recitandam sub mortali tenetur (1).

In. Potestne totum Officium diei sequentis recitari die praecedente?

R. Minime; quia Officium est onus diei annexum. Ex consuetudine licitum est Matutinum cum Laudibus recitare pridie, ab eo circiter tempore, quo sol est propior ad occasum, quam ad meridiem, ut videre est in tabula horaria apposita Kalendario.

In. Daturne materiae parvitas in omissione Officii?

R. Maxime, cuiusmodi foret unicus psalmus, vel quid simile.

In. Quae dici potest pars Horae notabilis?

R. Dimidia, seu, ut alii malunt, tertia Horae unius pars. Hinc omissio unius nocturni, sive trium psalmorum, vel etiam trium lectio-

E 2 num

(1) Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Qui non potest recitare matutinum cum laudibus, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.*

num in matutinis; duorum psalmorum in vesperis; unius psalmi in reliquis horis, mortale peccatum videtur.

In. Poteftne quis unico Officio satisfacere duplici praecepto, nempe pro die praesenti, & crastina?

R. Non potest, & contraria opinio damnata fuit ab Alexandro VII.

In. Quinam obligantur ad recitationem Officii?

R. I. Omnes insigniti Sacris Ordinibus (1), etsi non beneficiati: immo etiam excommunicati, & suspensi:

II.

(1) Subdiaconi incipiunt obligari ipso die suae ordinationis saltem ad partem respondentem horae, in qua ordinantur. Quod siquis ante ordinationem totum recitasset officium, non desunt auctores minime rigidi, qui ipsum adhuc obligant ad recitationem partis respondentis horae, in qua ex ordinatione (sive ex collato beneficio) obligari coepit, tum quia praecepti satisfactio praesupponit obligationem contractam ipso praecepto; tum praesertim quia horae canonicae sunt a Clerico recitandae nomine Ecclesiae, cuius quidem nomine non recitat, nisi qui vel per Sacrum Subdiaconatus Ordinem, vel per beneficium tanquam Ecclesiae minister ad hoc sit deputatus.

II. Omnes beneficiati, licet non ſint in Sacris:

III. Regulares Clerici a die Profeſſionis, & Moniales ad chorum deputatae.

In. Quot peccata committit, qui integrum Officium omittit?

R. Si beneficiatus fuerit, & Sacris ſimul Ordinibus initiatus non ſolum peccat in religionem defraudans Deum cultu debito, ſed etiam in iuſtitiam peccat; adeoque duo diſtincta letalia peccata committit.

In. Excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, vel degradatus ſolviturne ab obligatione recitandi quotidie horas canonicas?

R. Minime; nam ex ſua iniquitate nemo commodum referre debet.

In. Ad quid tenetur, qui Matutinum cum Laudibus omittit, & beneficium poſſidet?

R. Ad dimidiam partem fructuum illius diei; ſicuti ad eamdem ſummam tenetur, qui omnes alias ho-

ras omitteret ex Constitutione S. Pii V. (1).

In. Ad quid pro singulis Horis tenebitur?

R. Ad sextam partem ex eadem Constitutione praecitata.

In. Obnoxiusne esset restitutioni, qui sine culpa divinum Officium omitteret?

R. Liber est a restitutione ex ipsa Piana Constitutione.

In. Cui facienda restitutio haec?

R. Fabricae, aut pauperibus, ut declaravit idem S. Pontifex.

In. Num haec restitutio facienda est ante omnem sententiam Iudicis?

R. Ecclesia declaravit (2), beneficiatos omittentes divinum Officium *non facere fructus suos pro rata omissionis Officii*, ac debere eos restituere *tanquam iniuste perceptos*; adeoque ante sententiam Iudicis facienda est restitutio (3); idque etiam ex damna-

(1) Id habetur in Bulla *Ex proximo*.

(2) In Conc. Lateran. V. sess. 9.

(3) Ut quis restituat, quod iniuste percepit, &

mnata Alexandri VII. propositione manifesto patet.

In. Quid dicendum de illo, qui omittit Officii recitationem intra sex menses a beneficii possessione?

R. Theologi nonnulli hunc eximunt a restitutionis onere, quia Concilium Lateranense, & S. Pius V. nullam faciunt restitutionis mentionem intra illud temporis intervallum.

DE DIACONATU.

In. Quid significat vox *Diaconus*?

R. E graeco latine idem est ac *Minister*, quia minister est Sacerdotis (1).

& quod suum non est, non requiritur Iudicis sententia. Hinc Alexander VII. hanc damnavit propositionem: *Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod sit poena.*

(1) Quod in lege veteri Levitae erant respectu Sacerdotum, quibus sacrificantibus serviebant, idipsum in nova lege sunt Diaconi respe-

In. Quid est Diaconatus?

R. Est Ordo Sacer, quo traditur spiritualis potestas inserviendi proxime Sacerdoti sacrificanti; & canendi Evangelium inter Missarum solemnia.

In. Estne Sacramentum?

R. Maxime. Ita fert communis Catholicorum omnium sententia; idque licet non sit de fide, temerarium tamen esset id negare (1).

In.

spectu Presbyterorum, quibus proxime inserviunt in Altaris ministerio. Ministrorum porro, seu Diaconorum nomen antonomastice habent, quia tenent sacri ministerii principatum; quidquid enim Subdiaconis, & minoribus Clericis officii attribuitur, in Diaconatu tanquam in fonte, atque principio continetur.

(1) Cum tria necessaria sint ad veri Sacramenti rationem, ut alibi exposuimus; haec Diaconatui convenire sic evinco.

I. Diaconi ordinatio est *signum sensibile*. Actorum enim cap. 6., ubi agitur de septem Diaconorum ordinatione facta ab Apostolis, legitur: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Quibus verbis indicatur sensibile signum *impositionis* tanquam materiae, & *orationis* tanquam formae.

II. Gratiae effectus ex ipsa manuum impositione colligitur. Non enim Apostoli manus impone-

In. Quaenam materia Ordinis?

R. Impositio manus (1) facta ab Episcopo, cum manum dexteram tenet extensam super ordinandos, quae quidem impositio est Diaconatus materia *essentialis*; & traditio libri Evangeliorum.

In. Traditio libri Evangeliorum estne materia Diaconatus essentialis?

R. Non est materia essentialis, sed tantum *accidentalis*, sive *integralis*,

E 5 quae

nebant, & orabant, nisi ut super septem illos viros coram ipsis constitutos descenderet Spiritus S. gratia. Hinc Ecclesia Latina in Diaconi ordinatione hac utitur formula, *Accipe Spiritum S. ad robur &c.*

III. Quod demum ex Christi institutione profluat, ex facto Apostolorum satis eruitur, quos a Christo Domino ritum hunc accepisse, dubitare neutiquam debemus; quorum proinde praxim sequuta semper Ecclesia est, quae nunquam Diaconis, eorumque ministerio caruit.

(1) Hanc solam esse materiam *essentialem*, non pauci insignes Theologi antiquitatis studiosi docuere; hanc etenim solam adhibuisse Apostolos, cum primos Diaconos consecrarunt, ex Actis Apostolorum cap. *6.* liquet; hanc quoque solam per plura secula adhibuit Ecclesia Latina, & nunc quoque adhibet Graeca. Vid. Morin. de Sacr. Ord. ex. 3. c. 1. P. Chardon hist. de Sacram. lib. 1. c. 12.

quae adhibetur ad uberiorem Diaconicae potestatis significationem (1).

In. Quaenam forma?

R. Sicuti duplex est materia, ita & forma. Prima & essentialis est, cum Episcopus manum dexteram su-

(1) Traditio enim haec recentior est Diaconorum institutione; nam quando Diaconi ab Apostolis sunt ordinati, nondum scriptum erat Evangelium, quod ipsis in manus porrigi posset. Id ultro fatebitur quisquis attendet, non multis post descensum Spiritus Sancti diebus, primos Diaconos constitutos; Matthaeum vero primum ordine temporis Evangelii Scriptorem non ante annum trigesimum nonum aerae communis, sexto nempe post Christi Ascensionem anno Evangelium exarasse. Accedit etiam, quod communis eruditorum sententia est, legem de Evangeliorum libro porrigendo sexcentis, aut septingentis ad summum annis antiquiorem non esse: & sane antiqui libri Rituales quotquot ad seculum usque undecimum prodiere, de hoc ritu penitus silent; quin eum ab ordinatione Diaconorum expresse videtur excludere Amalarius Fortunatus ineuntis noni seculi scriptor lib. 2. de offic. c. 12., & insuper Durandus, qui floruit seculo XIV. testatur in 4. dist. 2. 4. q. 3. iuxta antiquissimum Sacramentarium non fuisse traditum Evangeliorum librum Diacono, huiusque servandae caeremoniae formulam seipsum manu propria addidisse Pontificali Ecclesiae, cui praeerat, ut se ad aliorum exemplum componeret.

super ordinandos expansam tenens, ita deprecatur: *Emitte in eos, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiae tuae munere roborentur &c.* (1). Altera *accidentalis* nempe, seu *integralis*, cum porrigit ordinando librum Evangeliorum his verbis: *Accipe potestatem legendi Evangelium &c.*

In. Cur solus Episcopus manum imponit super Diacono ordinando, & non alii Sacerdotes qui adsunt, uti fit in ordinatione Presbyteri?

R. Rationem affert Pontificale in rubrica, *quia* Diaconus *non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur* (2).

(1) Observandum maxime hic est, quod impositio illa manus facta ab Episcopo cum profert ea verba imperativa, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* non est materia essentialis Diaconatus.

(2) Ratio haec totidem verbis sumta est ex *Statutis Ecclesiae antiquis* antea vulgatis nomine Concilii Carthaginiensis IV. c. 4., ac repetita legitur in vetustissimis Sacramentariis Gelasiano, & Gregoriano.

In. Quis Diaconatum instituit?

R. Christus Dominus in ultima Coena.

In. At quis fortasse obiiciet: Diaconi instituti leguntur ab Apostolis (1); ergo non a Christo?

R. In Actis Apostolicis non recensetur institutio Diaconorum, sed tantum refertur prima Diaconorum ordinatio, & occasio (2), qua primos Diaconos Apostoli constituerunt, seu elegerunt.

In. Quaenam Diaconorum officia?

R. Propria ipsorum munia (3) sunt

I.

(1) Actorum cap. 6.

(2) Non enim Apostoli Diaconatus Ordinem instituerunt, quem *divina ordinatione institutum esse*, constat ex Tridentino sess. 23. can. 6., ubi habetur: *Si quis dixerit, in Ecclesia non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.*

(3) Antiquitus Diaconi pluribus fungebantur muneribus. Etenim Eucharistiam fidelibus dispensabant: curam gerebant Martyrum: Episcopum perpetuo sequebantur: in absentia Episcoporum poenitentes absolvebant a poenis canonicis, & censuris, non tamen sacramentaliter, sed deprecatorie absolvebant a peccatis: facultates Ecclesiae administrabant: comites erant

Epi-

I. Sacerdoti solemniter celebranti proxime inservire :

II. Evangelium solemniter in Missa decantare :

III. Eucharistiae materiam Sacerdoti exhibere :

IV. Ex commissione baptizare solemniter, & praedicare (1).

Episcoporum ad Synodos convenientium, ut fuit S. Athanasius, qui una cum S. Alexandro Episcopo Alexandrino Concilio Nicaeno interfuit. Item Diaconi erat, omnia Episcopi iussa exequi in iis, quae ad exteriorem Ecclesiae politiam spectabant; & tanquam Episcopi oculum pervestigare, quinam pie & religiose, quinam secus vitam traducerent, & de omnibus Episcopum certiorem facere, ut is, ubi opus fuerit, opportunum posset remedium afferre. Fidelium animos Sacrificii tempore excitabant, ut ad sacra attenderent, & instante Sacrificii oblatione, eiiciendis e templo poenitentibus, excommunicatis, aliisque profanis edictum publice pronuntiabant his verbis: *Recedant poenitentes : Sancta Sanctis*. Erat pariter Diaconi, monere populum in Ecclesia, quando genua flectere, vel toto corpore prosterni, surgere, stare, vel procedere deberet, eumdemque expleto Sacrificio dimittere. Et tandem Paroeciae illorum curae, ac regimini tradebantur, quando, sive propter saevientem persecutionem, sive alia quavis de caussa Sacerdotum penuria Ecclesiae laborabant.

(1) In Pontificali Romano tria haec Diaconis

In. Poteſtne Diaconus Sacram Euchariſtiam adminiſtrare?

R. Poterat iure ipſo ſuae ordinationis, idque aperte tradunt PP. Concilii IV. Carthaginienſis can. 38. decernentes, *ut Diaconus praeſente Presbytero Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, iuſſus eroget* (1). At diſtribuebant Diaconi de licentia Epiſcoporum, vel Presbyterorum.

In. Vigetne etiamnum eiuſmodi uſus?

R. Non amplius viget apud nos uſus antiquus, ut Diaconi ex diſpenſatione ac licentia Euchariſtiam diſtribuant; unde nec Epiſcopi, nec Presbyteri, ſcilicet Parochi, hanc fa-

conis adſignantur: I. Miniſtrare ad Altare: II. Baptizare: III. Praedicare. Baptiſmi tamen adminiſtratio ab eo non uſurpanda, niſi ubi deſit Sacerdos, ac neceſſitas poſtulet; ſicuti quoque nec praedicationis munere Diaconus fungi potest, niſi ubi id expedire Epiſcopus iudicaverit.

(1) Hunc in ſenſum accipi debet Alcuinus in lib. de divin. offic. ita loquens: *ſi neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit praeſens, Diaconus ſuſcipiat poenitentem, & det Sanctam Communionem*.

facultatem dare debent, nisi ex iusta & urgente caussa, quia servanda, quae nunc obtinet, disciplina.

In. Quaenam vestis propria Diaconorum?

R. Propria Diaconorum vestis est stola (1) super humerum sinistrum aptata, & sic disposita, ut pendeat sub latere dextro.

In. Quibus vestibus utitur in Missa solemni Diaconus?

R.

(1) Stola, seu Orarium Diaconorum insigne est, & proprium ornamentum: ϛολὴ graeco sermone idem, quod latine *vestimentum*, sonat. Orarium *alii dictum volunt ab ore, putantes, quod olim nihil aliud fuerit, quam fascia linea, seu linteum oblongum ori detergendo accommodum. At magis arridet Concilii Toletani IV. sententia ab* orando *Diaconici Orarii etymon repetentis*. Huic sententiae Venerabilis Beda consentit: *bene*, inquit, *orationibus convenit orarium tanquam congruens officio instrumentum*. Eadem vel Graecorum est doctrina, apud quos Diaconus arrepta digitis stolae extremitate invitat populum ad orandum, cantores ad psallendum, Pontificem ad sacrum faciendum, & quo quidque tempore sit agendum, denuntiat. Ex Amalario stola significat iugum suave, & onus leve Legis Evangelicae.

R. Utitur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & dalmatica.

In. Quid est Dalmatica?

R. Dalmatica ex Amalario instituta fuit a S. Silvestro Papa, estque ornamentum solemnitatis, ac laetitiae, quam proinde Diaconus non gestat diebus ieiunii, & luctus.

In. Quid monet vestis haec Diaconos?

R. Ministrandum esse Altari cum interiori laetitia, quae nequit a iustitia, ac pietate seiungi (1).

In. Quid per eam significatur?

R. *Religio sancta, & immaculata, quae est apud Deum, & Patrem, ut visitentur pupilli, & viduae in tribulationibus eorum, & visitatores immaculatos se custodiant ab hoc seculo* (2).

In. Quis Diaconatus Minister?

R. Solus Episcopus ex officio.

In. Quid Episcopus Diaconis post ordinationem imponit?

R.

(1) Pontif. Rom. in Ordinat. Diaconi.

(2) Ita Amalarius citatus.

R. Idem quod Subdiaconis, nimirum ut *Nocturnum* recitent *talis diei*, quo fuerunt ordinati.

In. Quaenam qualitates requiruntur in eo, qui ordinandus est Diaconus?

R. Complures quidem sunt ad licite hunc Ordinem suscipiendum:

I. nulla culpa lethali inquinatus esse debet:

II. nulla censura ecclesiastica irretitus:

III. requiritur exercitium Ordinis Subdiaconatus, in quo unius anni intervallo versatus esse debet, ut serventur interstitia a iure statuta, nisi Episcopus dispensandum existimet:

IV. aetas viginti trium annorum saltem incoeptorum:

V. integritas morum, scientia, & approbatio per examen, vel alia ratione praestita.

In. Mulieres suntne huius Sacramenti capaces?

R. Minime.

In. Quomodonam antiquis Ecclesiae temporibus Diaconatus mulieribus conferebatur, & foeminae hoc insignitae Ordine Diaconissae appellabantur?

R. Diaconissae, quae a primis usque Ecclesiae temporibus obtinuerunt, erant piae quaedam mulieres caritatis officiis auctoritate Ecclesiae deputatae; quas Diaconissas vocabant. Sed certum est, Diaconatum huiusmodi mulierum Sacramentum non fuisse; non enim consecrabantur Diaconissae, ut altari deservirent, (quae propria est Diaconatus functio), sed ut erga ceteras mulieres quaedam caritatis officia exercerent.

In. Quae erant Diaconissarum officia?

R. Praecipua erant,

I. Foeminas adultas baptizandas per immersionem exuere, ac vestire:

II. Easdem fidei rudimentis imbuere:

III. Portam, qua in Templum foeminae ingrediebantur, custodire; aliaque id genus exercere officia,

quae

quae in libro Constitutionum quas Apostolicus vocant recensentur (1).

DE BAPTISMO.

In. Quid significat vox *Baptismus?*

R. Significat ablutionem; graece enim *baptizo* idem est, ac *abluo*.

In. Quid est Baptismus novae Legis?

R. *Est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Dicitur *Sacramentum regenerationis*, ut exprimatur Baptismi effectus, qui est regeneratio ad vitam gratiae. *Per aquam* exprimitur materia. *In verbo* sita est Sacramenti forma.

In. Cur ita nominatur hoc Sacramentum?

R. Quia dum aqua corpus abluitur, abluitur simul anima ab omni peccato (2).

In.

(1) Consulatur pluries memoratum opus de Sacris Ordinationibus in cap. 7. per totum.

(2) Vid. S. Greg. Nyssen. in Baptismum Christi tom. 1. pag. 801. S. Isidor. Hispal. orig. lib. 7. c. 3.

In. A quo, & quando institutus fuit Baptismus?

R. A Christo Domino, quando a Ioanne in Iordane baptizatus est (1).

In. In quo differt Baptismus Ioannis a Baptismo Christi?

R. Baptismus Ioannis erat Baptismus poenitentiae, nec conferebat gratiam nisi *ex opere operantis*. At Baptismus Christi verum est Sacramentum, & confert gratiam *ex opere operato*.

In. Quandonam coepit illius obligatio?

R. Post Mortem, ac Resurrectionem Christi, ac sufficientem Legis Evangelicae promulgationem (2).

In.

(1) Alii vero Theologi putant, Christum Dominum instituisse hoc Sacramentum, cum ipse ait Nicodemo apud Ioannem 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Alii tandem, cum post Resurrectionem suam Apostolis dixit (Matth. 28.) *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

(2) Id innuitur potissimum a Conc. Trid. sess. 6, cap. 4.

In. Quotuplex eſt Baptiſmus?

R. Triplicem vulgo diſtinguunt Theologi, I. *Aquae*: II. *Flaminis*, ſeu deſiderii: III. *Sanguinis*.

In. Quid eſt Baptiſmus Flaminis?

R. Eſt vera cordis contritio includens votum Baptiſmi.

In. Quid Baptiſmus Sanguinis?

R. Eſt Martyrium pro Chriſto toleratum praecedens aquae, Baptiſmum, eiuſque vices ſupplens.

In. Triplex haec Baptiſmi diviſio tollitne illius unitatem?

R. Minime, quia, ut inquit D. Thomas, *Baptiſmus flaminis, & Sanguinis includuntur in Aquae Baptiſmo, qui efficaciam habet & ex Paſſione Chriſti, & ex Spiritu Sancto. Conveniunt autem duo illi cum Baptiſmo Aquae non in ratione, ſed in effectu, ſcilicet in remiſſione culpae originalis, ac ſpirituali regeneratione, adeoque non ſunt Sacramenta*.

In. Quaenam Baptiſmi materia?

R. Duplex eſt Baptiſmi materia, nempe

pe *remota*, & *proxima*. Materia remota est aqua elementaris, seu naturalis. Porro per naturalem aquam intelligimus aquam fontium, maris, fluminum &c. (1), quae propriam aquae speciem retineat. Excluditur omnis aqua artificialis ex floribus, & herbis distillata. Materia proxima est aquae usus, quo abluitur corpus.

In. Aqua, cui aliquid extraneum admixtum est, idoneane materia Baptismi est?

R. Si materia eterogenea sit in exigua quantitate, est materia idonea Baptismi, quia in hoc casu non censetur aqua essentialiter immuta-

ta-

(1) Ita adhiberi etiam potest ad Baptismum aqua per cineres transfusa, seu lixivium; aquae sulfureorum balneorum, aut aliae minerales; aqua decoctionis carnium, piscium, vel herbarum, dummodo facta non fuerit tanta resolutio corporum lixatorum, ut liquor plus habeat de aliena, quam de aquae substantia. At aquae ex vite, vel ex rosis, aliisque corporibus per artem Chymicam expressae non sunt materia Baptismi, uti nec cervisia, vinum, & alii liquores.

tari: secus vero, si materia extranea sit in magna quantitate.

In. Quotuplex est abluendi modus?

R. Triplex est: I. *per immersionem*, II. *per infusionem*, III. *per aspersionem*. In praxi tamen servari debet modus in propria Ecclesia usitatus, nec ab eo discedere quis potest absque peccato, nisi necessitas cogat. Quilibet tamen modus ad validitatem Baptismi sufficit.

In. Requiriturne trina ablutio?

R. Minime, sed sufficit unica.

In. Quaenam aquae quantitas requiritur ad validitatem Baptismi?

R. Requiritur ea aquae quantitas, quae sufficiat ad abluendum; hinc patet, aquam effluere debere, ac proinde non sufficere unam, vel alteram aquae guttam.

In. Nix, glacies, ros, & gelu suntne materia apta Baptismi?

R. Minime, quamdiu sunt concreta; bene vero, quando sunt resoluta.

In. Quaenam pars corporis est abluenda, ut Baptismus valeat?

R.

R. Sufficit, ut caput sit ablutum, uti constat ex praxi Ecclesiae Latinae, quia caput praecipua pars corporis est. An sufficiat ablutio alterius partis, nempe brachii, pedis, pectoris &c., non est omnino certum. In casu necessitatis potest infans baptizari in quolibet membro, at postea rebaptizandus est sub conditione, *si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*, ut praescribit Rituale Romanum.

In. Infans in utero matris inclusus baptizarine valet?

R. Si nullum infantis membrum extra uterum appareat, nullo modo baptizari potest; & Baptisma collatum nullum esset, quia necesse est, ut aqua immediate tangat corpus baptizandi. Quod si infans ex utero caput emiserit, valide baptizatur. Si vero emiserit aliud membrum, baptizari potest sub conditione, *si tu es capax, ego te baptizo &c.* (1).

(1) Si quis ob aquae penuriam in puteum, aut

In. Quaenam forma Baptismi?

R. Ecclesiae Latinae forma haec est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (1).

In. Requiriturne ad valorem Baptismi, ut exprimatur actus baptizantis per verbum *baptizo*, vel *baptizatur?*

R. Utique, & hoc constat ex perpetua Traditione, & praxi Ecclesiae, idque definivit Alexander III. (2); unde non valet Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

In. Ratumne, validumque esset Baptismi-

aut flumen puerum morti proximum proiiciat, & formam proferat, ut eum baptizet, validum est Baptisma, quia habetur verbum, elementum, & intentio ministri. Vid. Antoine tr. ct. de Bapt. quaest. 4.

(1) Apud Graecos forma est eiusmodi: *Baptizatur Servus Dei in nomine Patris, & Filii &c.* Particula *ego* ad essentiam Baptismi non pertinet. At qui deliberate particulam illam omitteret, cum haec essentialis non sit, ut docet Angelicus 3. par. qu. *66.* art. 5., videtur peccare venialiter, si absit contemtus. Idem dicendum, si loco *ego*, pronuntiaretur *nos.*

(2) Cap. 1. *de Baptismo.*

ptiſma, ſi quis omiſſo verbo *Baptizo*, diceret *lavo*, *abluo*, *mergo*, *intingo &c.?*

R. Ita ſane, quia huiuſmodi verba idem ſignificant; peccaret tamen miniſter immutans verba ab Eccleſia ſtatuta.

In. Ad valorem Baptiſmi neceſſariane eſt explicita, & expreſſa invocatio trium Perſonarum Sanctiſſimae Trinitatis, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?*

R. Ex cap. ultimo Matthaei id conſtat.

In. Quidnam ſignificatur per verba illa, *In nomine Patris &c.?*

R. Idem eſt ac in invocatione, ſeu appellatione Patris &c., quia inter baptizandum ſemper invocatum eſt nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

In. Valerne Baptiſmus collatus *in nomine Trinitatis*, vel *in nomine Dei unius, & trini*, vel *in nomine trium Perſonarum Sanctiſſimae Trinitatis?*

R.

R. Minime, quia ad valorem Baptismi requiritur mentio explicita trium Divinarum Personarum (1).

In. Quid sentiendum de forma ista,

(1) Invalidus quoque esset Baptismus collatus in nomine Christi. At, inquies, legimus Act. 2. 38. cap. 10. 48. cap. 19. 5., quosdam in nomine tantum Iesu Christi baptizatos. Intelligendum per verba illa, Apostolos baptizasse tantum in nomine Domini Iesu, scilicet Baptismo a Christo Domino instituto, & ab illo vim & efficaciam omnem habente: ita enim vox ista *nomen* usurpatur in Scripturis. Actuum 4. 7. habetur, *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Item v. 10. Lucae 24. 27. Id autem diserte docet D. Augustinus lib. 2. contra Maximinum Arianum cap. 17., qui solvens obiectionem illius adversus divinitatem Spiritus Sancti ex eo ductam, quod Scriptura rerum creationem Spiritui Sancto non adscribat, respondet, ex illo Scripturae silentio male inferri, reipsa Spiritum Sanctum Creatorem non esse; sicuti ex eo, quod Scriptura aliquando asserat, baptizatos quosdam fuisse in nomine Christi, non propterea inferre licet, eos baptizatos fuisse in solo nomine Christi, non appellato nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc autem loci idem Sanctus Doctor regulam praescribit solvendis difficultatibus maxime opportunam, scilicet, dum Scriptura alicuius tantum Personae Divinae mentionem facit, alias non censeri exclusas, immo omnes praesupponi, cum trium Divinarum Personarum una sit operatio, sicuti una est essentia.

Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti?

R. Qui ita baptizaret, valide baptizat, nam repetitio istius nominis nullo modo sensum formae a Christo institutae immutat (1).

In. Baptizaretne valide, qui praeter invocationem Sanctissimae Trinitatis, adderet nomen alicuius Sancti?

R. Si haec additio fieret ex ignorantia, & simplicitate, validus esset Baptismus; at invalidus, si baptizans putaret, additionem nominis illius Sancti esse de necessitate Sacramenti. Valide quoque baptizat, qui ex ignorantia formam depravat, ex. gr. si diceret, *In nomine* *Pa-*

(1) Eiusmodi nominis repetitio usurpata reperitur in Rituali Ecclesiae Alexandrinae T. 4. Biblioth. PP. Item in Sacramentario Gelasii, & Gallicano edito a Mabillonio, ubi aliquando tribus, aliquando duabus vicibus τὸ nomen repetitum legitur. Quis improbabit hanc formam, *Baptizo te in nomine Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus Sancti?* Porro si repetitio huiusce vocabuli *Deus* non multiplicat divinam substantiam, multo minus eam multiplicat repetitio *in nomine*.

Patris &c., vel qui ex imperfectione linguae, aut imperitia diceret, *In nomine Patri*, aut *batizo* pro *baptizo*.

In. Validusne foret Baptismus collatus *in nominibus Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti?*

R. Minime, quia in hac forma non exprimitur unitas Essentiae Divinae.

In. At si pronomen *te*, vel praepositio *in* omitteretur, essetne validus Baptismus?

R. Probabilior sententia fert, dubium in utroque casu esse Baptismum. Et primo, nisi exprimatur subiectum, non designatur certa, ac determinata actio ministri, sed indifferens, & vaga remanet. Baptismus vero vi formae est applicandus personae illum suscipienti. Secundo omissio illius praepositionis sensum variat; atque minister dum dicit, *baptizo te nomine Patris &c.* ostendit, se auctoritate, vel potestate, vel imperio trium Personarum id facere.

In. Quid dicendum de Baptismo collato *in virtute Patris &c.*

R. Iuxta probabiliorem sententiam dubius esset Baptismus ita collatus; sicuti quoque *in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque* (1), quia ita significantur actus notionales dumtaxat, non autem Personarum proprietates, & ipsae Personae.

In. Estne singulis necessarius Baptismus?

R. Baptismus in re, aut in voto omnibus necessarius est ad salutem. Infantibus vero necessarius est in re, cum sint incapaces voti, seu desiderii percipiendi Baptismum.

In. Quotuplex est Baptismi minister?

R. Triplex: I. Ordinarius ex officio. II. Extraordinarius ex delegatione. III. Minister in casu necessitatis.

In. Quinam sunt ministri ordinarii ex officio?

R.

(1) Immo D. Thomas 3. p. q. 66. art. 5. ad 7. docet, in aliis nominibus, quam *Patris, & Filii, & Spiritus S.* non perfici Sacramentum.

R. Sunt Episcopi, tum Parochi, deinde Presbyteri. Ministri extraordinarii sunt Diaconi, qui non ex officio, sed ex delegatione Baptismum administrare solemniter possunt. Ministri necessitatis sunt omnes Laici sive masculi, sive feminae, sive fideles, sive infideles.

In. Quandonam poterit Diaconus delegari ad solemnem Baptismi administrationem?

R. In gravi solum, licet non extrema necessitate urgente, cum nempe Parochus aegrotat, ac deest Sacerdos (1).

In. Potestne semel collatus Baptismus iterari?

R. Minime, cum imprimat characterem (2). In baptizatis a laicis sup-

(1) Vid. Catechism. Conc. Trid. part. 2. n. 22.

(2) Praeter sacrilegium poenam irregularitatis cum in rebaptizantes, tum in rebaptizatos Alexander III. decernit in cap. *ex literarum* de Apostatis, & reiterantibus Baptisma. Benedictus XIV. lib. 7. de Synod. Dioeces. c. 6. n. 3. monet, se ostendisse in quadam sua In-

fti-

ſupplendae ſunt ſolemnes caeremoniae; hae tamen ad Baptiſmi eſſentiam non pertinent.

In. Unus miniſter poteſtne unica ablutione plures ſimul baptizare?

R. Valide quidem baptizaret, ſed illicite extra caſum neceſſitatis, quia violaret conſuetudinem Eccleſiae in re magni momenti, & ideo letaliter peccaret (1).

In. Quo tempore ſuſcipi poteſt Baptiſmus?

R. Omni tempore conferri, & ſuſcipi poteſt Baptiſmus etiam a parvulis. In adultis vero requiruntur nonnullae diſpoſitiones. Praeter intentionem requiruntur fides in Chriſtum, ſpes veniae, dolor de peccatis, caritas inchoata, & propoſi-

ſtitutione 84., non eſſe Baptiſmum ne ſub conditione quidem iterandum, cum nulla occurrit prudens ratio dubitandi de prioris Baptiſmi validitate; qui autem id attentaverint, ab irregularitate nec illos eximit ab eodem Alexandro III. inflicta.

(1) Vid. S. Thomam 3. part. quaeſt. 67. art. 6. ad 2. & Rit. Rom. tit. *de baptizandis parvulis*.

situm servandi legem Christi (1).

In. Qui sunt Baptismi effectus?

R. I. Confert gratiam sanctificantem (2).

II. Tollit omnia peccata quoad reatum culpae (3), ac poenae tum aeternae, tum temporalis (4).

III. Imprimit characterem (5).

In. Quomodo fit in Baptismo tam absoluta remissio culpae tum originalis, tum actualis, & poenae tam aeternae, quam temporalis?

R. Per misericordiam Dei applicantis nobis sine ulla exceptione Christi merita.

In. Tolliturne per Baptismum ignorantia, concupiscentia, moriendi ne-

(1) Ita Trident. sess. *6.* cap. *6.*

(2) Per hanc baptizatus renascitur, regeneratur, innovatur, fit Dei filius, Christi membrum, & vitae aeternae compos, quemadmodum innumera divinarum Scripturarum testimonia declarant. Vid. prima ad Corinth. *6.*, ad Tit. 3., Ioan. 3., & S. Petrus prima epistola cap. 2.

(3) Conc. Trid. sess. 5. can. 5.

(4) Conc. Florent. in Decr. ad Armenos.

(5) Conc. Trid. sess. 7. can. *9.*

necessitas, ceteraeque infirmitates vel spirituales, vel corporeae, quae peccati effectus, & poena sunt?

R. Minime: etenim istaec omnia ad agonem relicta sunt; nec ab iis liberabimur, nisi per generalem corporum resurrectionem, quae dici potest perfecta nostra redemtio a miseria (1).

In. Quomodo per Baptismum filii Dei efficimur?

R. Per novam vitam, quam in Christo

(1) Complures alias rationes affert D. Augustinus.

I. Ut Deus ostenderet, quid hominis culpa mereatur, & quid sua gratia donetur. Lib. 14. de Civ. Dei cap. 26.

II. Ut sicut homo in paradiso deliciarum habuit umbram aeternae felicitatis, ita hac in valle miseriarum umbram haberet damnationis aeternae. Idem in Enchirid. 25.

III. Ut si adderetur carni felicitas, imminueretur fidei fortitudo. Lib. 13. de Civ. Dei c. 4.

IV. Ut circumferret homo testimonium sui peccati. Lib. 6. operis imperfecti contra Iulianum cap. 26. & 29.

V. Ut intelligeremus, totum Sacramentorum fructum non ad hanc praesertim vitam temporalem, sed ad aeternam referri debere. In Enchirid. cap. 6.

sto per Baptismum accipimus (1).

In. Quomodo per Baptismum filii Ecclesiae efficimur?

R. Quia gignit nos in Christo Iesu mater Ecclesia (2).

In. Possuntne pater vel mater suum infantem baptizare?

R. Possunt, sed non debent, nisi urgeat extrema necessitas, nec sit alius homo Catholicus, qui baptizare possit; idque ob spiritualem affinitatem, quae ex baptismo contrahitur.

In. Quam spiritualem affinitatem narras?

R. Ex legibus Ecclesiae oritur inter baptizantem, & baptizatum spiritualis affinitas, vi cuius baptizans matrimonio coniungi nequit cum baptizato, eiusque parentibus.

(1) Haec nova vita est vita gratiae, qua coniungimur Deo per fidem, spem, caritatem, & alias virtutes, quae nobis inhaerent. Conc. Trid. sess. 6. c. 7.

(2) Apostolus ad Corinth. 4. 15. *In Christo Iesu ego vos genui*. Et per hanc regenerationem efficimur membra Ecclesiae, adscíscimur in societatem fidelium, ius habemus ad Sacramenta, & ad omnia Ecclesiae bona.

Unde si parentes ipsi suum baptizaverint infantem, hac spiritali affinitate fit, ut, qui baptizavit, non possit, nisi obtenta prius ab Episcopo dispensatione, petere debitum a coniuge, licet semper reddere teneatur (1).

In. Baptizarine possunt filii infidelium invitis parentibus?

R. Infantes ratione destituti filii infidelium sub civili potestate Principum Christianorum degentium parentibus invitis, & reluctantibus licite baptizari non possunt; baptizantur tamen valide. Ita S. Thomas, & alii. At licite baptizantur infidelium filii in proximo vitae periculo constituti (1).

DE

(1) D. Thomas in supplem. 3. p. q. 56. art. 2. in corp., ubi etiam docet, nullam contrahi spiritualem cognationem, cum, baptizato iam puero, supplentur Baptismi caeremoniae; nam nulla contrahitur spiritualis cognatio, nisi per aliquod Sacramentum. Unde cum Sacramentum Baptismi collatum iam fuerit, caeremoniae, quae supplentur, nullam parere possunt spiritalem cognationem.

(1) Vid. Sapientissimum Pont. Bened. XIV. epistola ad Archiep. Tarsens. an. 1747.

In. QUid significat vox *Presbyter*?

R. *Presbyter* ex etymo nomen est aetatis *senem* (1) significans. Ex usu vero Ecclesiae est nomen officii iis attributum, qui praefecturam Ecclesiae gerunt.

In. Curnam Presbyteri *Sacerdotis* etiam nomine designantur?

R. Quia I. Deo sunt consecrati; II. ad eos pertinet sacra tractare.

In. Quid est Presbyteratus?

R. Est Ordo sacer, per quem datur potestas consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi; ipsius Sacrificium offerendi; & peccata dimittendi, aut retinendi.

In. Estne idem Presbyteratus, & Sacerdotium?

(1) Presbyterorum nomine veteres Patres appellare consueverunt, qui Presbyteratus Ordine sunt insigniti, *non solum propter aetatis maturitatem*, *quae huic Ordini maxime necessaria est*, *sed multo magis propter morum gravitatem*, *doctrinam*, *& prudentiam*; quae quidem maxime in Presbyteris debent fulgere. Catechism. Rom. part. 2. num. 22.

R. Licet ex Scriptorum Ecclesiasticorum consuetudine idem significent, *Sacerdotii* tamen vox latius patet.

In. Curnam latius patere adfirmas vocem illam *Sacerdotii*?

R. Quia Sacerdotium aliud est *internum*, *externum* aliud.

In. Quodnam est Sacerdotium *internum*?

R. Est illud, quod habent Fideles omnes salutari lavacro abluti, ac praecipue iusti, qui Summi Sacerdotis viva membra sunt, quique in altari suae mentis spiritales Deo hostias immolant, quae sunt sanctae operationes.

In. Quodnam est *externum* Sacerdotium?

R. Est illud, quod convenit quidem cum Ordine Presbyteratus (1).

In. Estne Presbyteratus novae Legis Sacramentum?

(1) Hoc non omnium Fidelium multitudini, sed certis hominibus convenit, qui sub praescriptis signis sensibilibus, & verborum formis instituti Deo consecrantur, & ad sacra deputantur ministeria.

R. Est verum, ac proprium legis Evangelicae Sacramentum, ut Fides docet (1).

In. Quandonam Christus Presbyteratum instituit?

R. Quoad potestatem conficiendi Eucharistiam, in ultima Coena, cum dixit Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem*. Quoad potestatem vero remittendi, ac retinendi peccata, instituit post suam Resurrectionem (2).

In. Quaenam materia, & forma Presbyteratus?

R. Non satis liquet, quaenam sit vera, & essentialis Presbyteratus materia, nec extat hac de re Ecle-

(1) Ita statuit Sacrosancta Tridentina Synodus de Sacram. Ordin. can. 1. *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi; sed officium tantum, & nudum ministerium praedicandi Evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse Sacerdotes, anathema sit.*

(2) Ioan. 20. 23.

clesiae definitio. Ast omnium probabilior sententia fert, essentialem Presbyteratus materiam consistere in secunda manuum impositione (1), quae adiunctam habet orationem Episcopi: formam vero esse oratio-

(1) Venerandae Antiquitatis studiosi Martène de antiq. Eccl. rit. lib. 1. cap. 1. a 9., & Morinus de Sacr. Ordinat. part. 3. exerc. 7. c. 1., aliique complures unicam tantum essentialem materiam agnoscunt, nimirum manuum Episcopi impositionem, his ducti momentis,

I. Quia huius dumtaxat impositionis mentio habetur in Sacris Litteris, nempe in epist. 1. ad Tim. c. 4., & in 2. ad eumdem Tim. c. 1., necnon in Actibus Apostolorum cap. 13.

II. Quia haec tantum materia recensetur in veteribus Sacramentariis Gelasiano, & Gregoriano, & in vetustis Ritualibus tum graecis, tum latinis.

III. Quia hac sola usi sunt, atque utuntur etiam nunc Graeci, & tamen Graecorum Ordinationem validam semper tenuit Latina Ecclesia.

IV. Quia in Latina ipsa Ecclesia olim peragebatur sacra haec Ordinatio per solam manuum impositionem; quae disciplina viguit ad nonum saltem usque seculum.

V. Quia doctrina haec confirmatur ex verbis Tridentini sess. 14. c. 3., ubi Extremae Unctionis Ministros esse ait, *aut Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum Presbyterii.*

tionem ipsam, quae sic habet: *Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem Omnipotentem, ut super hunc famulum suum*, vel (si plures sint) *super hos famulos suos &c.* Quae habetur etiam in Sacramentario S. Gregorii.

In. Traditio Calicis cum vino, & Patenae cum hostia, necnon tertia manus impositio facta ab Episcopo, cum dicit, *Accipe Spiritum Sanctum &c.*, suntne materia Presbyteratus?

R. Sunt materia tantum integralis, & accessoria ad pleniorem Sacerdotalis potestatis explicationem usurpata, & ab Ecclesia praescripta (1).

Un-

(1) Non est materia essentialis tertia manuum impositio,

I. Quia non est in usu apud Orientales Ecclesias:

II. Quia semper in usu non fuit apud Ecclesias Latinas; ad nonum enim usque seculum nec in Conciliis, nec in Ritualibus, nec in iis, qui de Divinis Officiis, & Ordinationibus scripserunt, auctoribus comparet:

III. Quia in Pontificali libro ante eam Presbyter dicitur *Ordinatus*.

Unde sine gravi peccato huiusmodi caeremoniae omitti non possunt.

In. Verba ab Episcopo prolata in porrectione Calicis cum vino, & Patenae cum hostia; sicuti quoque in tertia manuum impositione, cum dicit, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* diserte significant duplicem potestatem: quomodo ergo antea data erat duplex illa potestas per secundam manuum impositionem?

R. Per verba illa tamquam per signa exprimitur potestas iam data; non autem per ea tamquam per caussas confertur.

In. Curnam in Pontificali Romano post secundam manuum impositionem (quae est materia, ut inquis, essentialis) Presbyteri dicuntur *Ordinandi*, non iam *Ordinati*?

R. Quia instrumentorum traditio necessaria est ex usu, ac praecepto Ecclesiae ad integralem Ordinationis perfectionem. Accedit etiam, quod iuxta recentiorem disciplinam ne-

nemo simpliciter, ut aiunt, & absolute dici potest *ordinatus*, nisi Ordinem receperit cum omnibus ritibus, quos postulat Ecclesia, in qua vivit (1).

In. Quot Presbyteratus effectus?

R. Tres: Gratiae Sanctificantis augmentum, Gratia Sacramentalis, & Character (2).

In. Quis Minister?

R. Solus Episcopus.

In. At Presbyteri una cum Episcopo or-

(1) In hac Sacra Ordinatione tum Episcopi, tum ordinandi nihil debent negligere, sed omnia exacte praestare, sive cum Episcopus, & Presbyteri manus imponunt, sive cum calix, & patena porriguntur tangenda, sive cum manus unguntur sacro Catechumenorum oleo, sive cum solus Episcopus in fine manus tertio imponit, ne postea aliquid incidat dubii, & caute supplendum sit, si quid fuerit praetermissum, uti traditur c. *Pastoralis*, & c. *Presbyter* tit. *de Sacramentis non iterandis*. Vid. Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 8. c. 10.

(2) Confertur in Presbyteratu gratia tum *habitualis* sanctificans, vel magis sanctificans suscipientem, nisi obicem ponat; tum *actualis* ad rectum Ordinis usum: character autem, qui imprimitur, est ipsa animae impressa *potestas* consecrandi Corpus, & Sanguinem Domini; nec non remittendi, vel retinendi peccata.

ordinandis manus imponunt; possuntne dici Presbyteratus collatores?

R. Nequaquam, quia ille solum collator est Ordinis, qui una cum applicatione materiae formam pronuntiat; solus autem Episcopus una cum manuum impositione, quae in probabiliore sententia materiae locum obtinet, supra ordinandos recitat preces, quae verborum forma habentur (1).

In. Quaenam vestis Sacerdotum propria?

R. Est stola vel e collo pendens utrinque, vel ad pectus in crucis formam adaptata; nam planeta seu casula olim utebantur etiam Diaconi, atque Subdiaconi, cuius moris vestigium adhuc superest quadragesimae, atque ieiuniorum diebus, quibus Diaconus, & Subdiaconus utun-

(1) In Episcopalis vero Ordinis collatione *Consecrator*, & *Assistentes* Episcopi ambabus manibus caput Consecrandi tangunt pronunciantes simul: *Accipe Spiritum Sanctum*. Vid. Pontific. Rom. de consecr. Electi in Episcopum.

utuntur Planetis complicatis ante pectus.

In. Quid Casulae, seu Planetae nomen indigitat?

R. Dicitur *Casula* ex Isidoro (1), quasi *parva casa*, quia totum hominem tegit. *Planetae* vero nomen inde petitum est, quia *limbus eius errabundus utrinque in brachia sublevatur* (2).

In. Quid per Casulam significatur?

R. Iuxta Pontificale Romanum intelligitur caritas (3), quae ad omnes sine exceptione porrigitur.

In. Quodnam Presbyterorum officium?

R. Officium Presbyterorum versatur circa Corpus Christi *mysticum*, & *reale*. Mysticum est Ecclesia; reale est Eucharistiae Sacramentum.

In. Quid inde consequitur?

R.

(1) Lib. 19. Orig. cap. 24.

(2) Id habetur in lib., cuius titulus, *Gemma animae* I. cap. 207.

(3) *Accipe*, inquit Pont. Rom., *vestem Sacerdotalem, per quam Caritas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem, & opus perfectum*.

R. Consequitur, quod Presbyterorum est,

I. Missam celebrare, idest Eucharistiam conficere, offerre, ac sumere cum caeremoniis ab Ecclesia praescriptis, & populo administrare.

II. Remittere, ac retinere peccata Fidelium, praehabita Episcopi licentia (1), excepto casu extremae necessitatis, seu mortis articulo (2), si tamen desit Confessarius ab Episcopo approbatus.

(1) Conc. Trid. sess. 23. de Ref.

(2) In mortis articulo versari ille intelligitur, qui in eo statu reperitur, ut mors eius verisimiliter timeatur, priusquam Confessarius approbatus accedat. Tunc autem quilibet Sacerdos absolvere quemcumque poenitentem valet a quibusvis censuris, & peccatis ex Trid. Conc. sess. 14. de Poenit. c. 7. Tantummodo quoad censuram aliquam reservatam iniungere debet poenitenti, ut si mortis periculum evadat, Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistat, cum primum poterit; alioquin in eamdem censuram recidet: idque iniungere debebit sub iureiurando, ut statuitur in 6. de sent. excommunicat. Si autem imminens mortis periculum sit, hanc formulam adhibeat Sacerdos, *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

III. Cum Parochi licentia solemniter baptizare, Extremam-Unctionem praebere, Viaticum administrare, & Matrimonia iungere, ac benedicere.

IV. Verbum divinum praedicare cum Episcopi licentia, ac benedictione.

V. Omnes benedictiones rerum, ac personarum peragere, quae Episcopo reservatae non sunt (1).

In. Quid significat Sacri Olei unctio facta Presbyterorum manibus?

R.

(1) Haec quidem omnia Presbyteri officia innuit Pontificale Romanum de Ordinat. Presbyt. his verbis: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, & baptizare.* Hic autem minime praetereundum videtur, potestatem ministrandi Confirmationis Sacramentum, uti videre est in Opere Bened. XIV. de Syn. Dioecef. l. 7. c. 7. & 8., consecrandi Ecclesias, ut idem Pontifex scribit in praelaudato Opere l. 13. c. 15., & conferendi etiam ordines minores, immo & Subdiaconatum, quando inter minores censebatur, ex delegatione Apostolica aliquando concessam fuisse Presbyteris aliqua dignitate insignitis; ita ut sola Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum Ordinatio adeo propria Episcoporum sit, ut nulla auctoritate ullis Presbyteris quavis dignitate fulgentibus delegata unquam fuerit, aut delegari possit.

R. Spiritus Sancti gratiam, quae consecratione, & sanctificatione confertur (1).

In. Cur Ecclesia Presbyterorum manus inungit?

R. Quia his potissimum utuntur ad consecrandum Christi Corpus, ad ministranda Sacramenta, ad benedicendum.

In. Quaenam sunt virtutes Presbyterorum propriae?

R. Nulla est, qua non debeat gradu quodam eminenti esse instructus; *homo* namque *Dei* Sacerdos est.

I. Debet ergo sanctus esse, sicuti Deus Sanctus est. Deinde ideo est

a

(1) Gratia Spiritus Sancti unctionis nomine designari solet in Scripturis; unde illud Isaiae c. 61. v. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*. Hinc etiam *Christi*, idest *Uncti* nomen inditum Iesu, quia unxit eum Deus *Spiritu Sancto*. Cum autem consecrari, & sanctificari nihil possit nisi per Spiritus Sancti gratiam; ad hanc designandam, quae consecratione, & sanctificatione confertur, Sacri Olei unctione uti solet Ecclesia in omnibus, quaecumque suis orationibus consecrat, atque sanctificat.

a populo ſegregatus, ut populo praeſit.

II. Debet ergo forma gregis fieri, praebens ei omnium exempla virtutum. Hinc oportet, Presbyterum I. totum eſſe *lucem*, quia ideo ɛ̃tus eſt, ut foret lux mundi II. totum eſſe *vocem* non niſi de Deo, & cum Deo loquentem: III. totum eſſe *viam*, cui inſiſtant, qui hereditatem quaerunt ſalutis.

In. Quid oneris novis Presbyteris imponit Epiſcopus?

R. Exigit, ut poſt primam Miſſam tres alias celebrent, unam *de Spiritu Sancto*, alteram *de B. Maria ſemper Virgine*, ac tertiam *pro Defunctis*.

In. Eſtne illarum applicatio celebranti libera?

R. Peritiores Epiſcopi iuxta Eccleſiae mentem imponunt, ne pro talibus Sacrificiis eleemoſynam accipiant novi Presbyteri.

DE EUCHARISTIA.

Eucharistia graeca vox est, quae latine *bona gratia*, sive *gratiarum actio* reddi potest. Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi ideo Eucharistiae nomine insignitur, tum quia Christus in institutione gratias egit (1); tum quia ad gratias pro acceptis beneficiis Deo referendas nihil Deo acceptius Divina hac Hostia esse potest; tum demum quia fons est omnium gratiarum (2).

Eucharistia dupliciter considerari potest, nempe prout est Sacramentum (3), & prout est Sacrificium (4).

DE

(1) Apost. Ep. I. ad Corinth. 11. 23. *Et gratias agens fregit, & dixit*.

(2) Apost ad Rom. 6. ait, *Gratia Dei vita aeterna*.

(3) Est *Sacramentum*, quia sub signis sensibilibus Christus fons, & origo omnis gratiae continetur.

(4) Est *Sacrificium*, quia Christi Corpus, & Sanguis vere sub illis speciebus offertur, ac sumitur.

DE EUCHARISTIA

prout est Sacramentum.

In. QUid est *Eucharistia?*

R. Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, ad spiritualem fidelium refectionem a Christo Domino institutum (1).

In. Num & aliis nominibus designatur Eucharistia?

R. Utique, & multis quidem: dicitur

(1) Ad Sacramentum proprie dictum tria, ut alibi quoque innuimus, requiruntur.

I. Ut sit signum sensibile:

II. Ut promissio gratiae sit eiusmodi signo adnexa:

III. Ut extet mandatum divinum eiusdem signi observandi.

Atqui ex Scriptura tria haec conveniunt Eucharistiae:

I. Etenim est signum sensibile divinitus institutum: Matth. 26. *Accepit Iesus Panem* &c.

II. Promittitur gratia hoc signum observantibus: Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

III. Extat mandatum divinum utendi hoc signo: Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo &c.

tur enim *Sanctissimum Sacramentum*, *Sacramentum Altaris*, *Sacra Hostia*, *Sacra Communio*, *Sacra Mensa*, *Sacra Coena* seu *Coena Dominica*, *Viaticum*, *Panis Filiorum*, *Panis Angelorum*.

In. Curnam vocatur *Sanctissimum Sacramentum?*

R. Ita dicitur per antonomasiam, quia Sacramentorum omnium maximum, & sacratissimum est, utpote quod continet Christum ipsum omnis gratiae fontem (1).

In. Cur *Sacramentum Altaris?*

R. Quia super Altare offertur, & consecratur, & ad Altare sumitur (2).

In. Cur *Sacra Hostia?*

R. Quia Christus ipse nostrae salutis Hostia offertur in Altari (3).

In.

(1) Hebraeor. 12. 2. *Aspicientes in auctorem Fidei, & consummatorem Iesum.*

(2) *Habemus Altare*, inquit Apostolus Hebr. 13. 10., *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.*

(3) Hebraeor. 10. 12. *Hic* (Christus) *autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempi-*

In. Cur *Sacra Communio ?*

R. Sacra Communio, Corporis nimirum D. N. I. Ch., qui hoc Sacramento continetur, quia fideles cum Christo, & inter se coniungit (1).

In. Cur *Sacra Mensa ?*

R. Quia in ea celebratur sacrum convivium Corporis Dominici, ad quod Fideles omnes invitantur (2).

In. Cur *Sacra Coena*, seu *Coena Dominica ?*

R. Quia ibi celebratur commemoratio ultimae Coenae Dominicae, qua peracta, Christus hoc Sacramentum, & Sacrificium instituit (3).

piternum sedet in dextera Dei . . . . . 14.; *una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*.

(1) *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. I. Corinth. 10. 17.

(2) Proverb. 10. 12. (Sapientia) *miscuit vinum, & proposuit mensam suam* . . . . . 4. *Si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus loquuta est: venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*.

(3) I. Corinth. 11. 20. *Iam non est Dominicam Coenam manducare* . . . . . 25. *similiter & calicem* (accepit) *postquam coenavit*.

In. Cur *Viaticum* appellatur?

R. Quia *in fortitudine cibi illius* fideles *ambulant usque ad montem Dei* (1); scilicet confortantur in huiusce peregrinationis via, & transmittuntur ab hac vita in vitam aeternam (2).

In. Cur nam dicitur *Panis Filiorum?*

R. Quia non canibus mittendus est, sed dari debet solis Dei filiis, qui per innocentiam servant adoptionem filiorum Dei (3).

In. Cur tandem *Panis Angelorum* appellatur?

R.

(1) 3. Reg. 19. 8.

(2) Ioan. 6. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

(3) Exod. 16. 15. *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Ioan. 6. 56. *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

R. Quia Chriſtum ipſum continet vere Panem Angelorum, cuius aſpectu Angeli veluti nutriuntur, Panem vivum, qui de caelo deſcendit; quemadmodum *manna*, Euchariſtiae typus, dicebatur panis Angelorum, quia miſſum de caelo fuerat Iſraelitis (1).

In. Quiſnam inſtituit Sacroſanctam Euchariſtiam?

R. Chriſtus Ieſus, ut teſtantur Evangeliſtae omnes (2), & D. Paulus (3).

In. Quo tempore eam inſtituit?

 R.

(1) Pſalm. 77. 24. *Pluit illis manna ad manducandum, & panem caeli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo.* Et Pſal. 104. 40. *Pane caeli ſaturavit eos.* Sap. 16. 20. *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de caelo praeſtitiſti illis.* Ioan. 6. 41. *Ego ſum panis vivus, qui de caelo deſcendi.* 49. *Patres veſtri in deſerto manducaverunt manna, & mortui ſunt. Hic eſt panis de caelo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.*

(2) Matth. 26. 26., Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. Ioan. 13. 1.

(3) I. Corinth. 11. 23. Id pariter definitum fuit a Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, & a Concilio Tridentino ſeſſ. 13. c. 1.

R. Pridie quam pateretur, postquam coenasset cum Apostolis.

In. Quo pane usus est ad illam instituendam?

R. Azymo.

In. Unde eruitur, quod panis ille fuerit azymus?

R. Ex Evangelistis, qui narrant, Christum instituisse Eucharistiam post coenam Agni Paschalis; proindeque eo pane usum fuisse colligitur, qui tunc prae manibus habebatur, quique azymus certe esse debebat iuxta legem Moysis (1).

In. Voluitne Christus Apostolos, eorumque successores solo pane azymo uti ad Eucharistiae celebrationem?

R. Nihil hac de re sanxit; sed ex certa traditione, & usu Ecclesiae constat, liberum fuisse Apostolis uti indiscriminatim pane azymo, vel fermentato.

(1) Lege Moysis cautum erat, ne quis in hac coena, septemque diebus consequentibus panem fermentatum comederet; immo ne quis in domo servaret panem fermentatum, idque proposita mortis poena. Exod. 12. 18. 19.

Certum pariter eſt, iam Latinam Eccleſiam uti ſolo azymo; Graecam ſolo fermentato.

In. Servanduſne eſt unicuique Eccleſiae ſuae ritus?

R. Utique; & quidem peccaret graviter Sacerdos, qui legem hanc violaret.

In. Perpetuuſne fuit apud Latinos uſus ſolius azymi, & apud Graecos ſolius fermentati?

R. Id certe non conſtat, neque ita facile poteſt determinari, ſaltem quod ſpectat ad Latinam Eccleſiam (1).

(1) Non una eſt ea de re Theologorum ſententia.

I. D. Ioannes Mabillon vir pietate, & eruditione praecellens ſcripſit pro perpetuo uſu azymorum in Eccleſia Latina. *Diſſer. de azymo.*

II. Sirmondus Soc. Ieſ. Theologus inſignis ſcripſit pro perpetuo uſu fermentati octo prioribus Eccleſiae ſeculis. *Diſquiſit. de azymo.*

III. Mediam viam tenuit Eminentiſſimus, atque doctiſſimus iuxta ac piiſſimus Card. Io. Bona, docuitque, (quod probabilius videtur) in Eccleſia tum Latina, tum Graeca prioribus ſeculis uſurpatum fuiſſe indiſcriminatim panem ſive

In. Quid erat in Calice, quo Christus usus est in Institutione Eucharistiae?

R. Vinum aqua modica mixtum. Id accepimus omnium seculorum Traditione, & perpetuo, nec umquam interrupto Ecclesiae usu.

In. In Eucharistia conficienda duplex materia est, panis nempe, & vinum, formaque diversa utrique elemento respondens; eritne etiam duplex Sacramentum?

R. Minime, quia Eucharisticae species licet diversae, ac verbis diversis consecratae, eumdem tamen finem, eumdem effectum, idem obiectum important, atque respiciunt (1).

In. Estne Eucharistiae Sacramentum ceteris excellentius?

R. Utique:

I.

ve azymum, sive fermentatum. Hunc sequutus est vir doctissimus D. Bocquillot, aliique complures. Vid. Card. Bona de Liturg. l. 1. c. 22.; & Bocquillot in Tract. hist. de Liturg. l. 1. c. 12.

(1) Catech. Conc. Trid. par. 2. tit. de Euchar. n. 10.

I. Quia non aliquam gratiae portionem, ut cetera, sed Christum ipsum Deum, atque hominem plenum gratiae, & veritatis, totius gratiae fontem vere, ac realiter continet.

II. Quia cum alia Sacramenta in usu solo consistant, tuncque solum sint, quando fiunt; & esse desinant, ubi desinunt fieri; Eucharistia habet e contrario *esse permanens*, nec ab usu pendet, ut vere Sacramentum dicatur, & sit (1).

In. Habetne Eucharistia vim aliquam significandi sibi propriam?

℞. Maxime:

I. Etenim praeter verum Christi Corpus sub ipsa contentum, significat etiam *Corpus mysticum*, quod est Ecclesia (2).

II. Speciale hoc sibi vindicat Eucharistia, quod simul sit signum *rememorativum*, *demonstrativum*, & pro-

(1) Vid. Conc. Trid. sess. 13. c. 3.

(2) Hoc sensu dictum ab Apostolo fuit, *Unus panis, unum corpus sumus omnes, qui de uno Pane participamus.*

prognosticum, ut habetur in praecellentissima illa antiphona, *O sacrum Convivium &c.* (1).

In. Quaenam materia Eucharistiae?

R. Materia Eucharistiae est panis triticeus, & vinum de vite; utraque usum fuisse Christum, constat ex Evangelio (2).

In. Cuiusnam substantiae debet esse panis consecrandus?

R. Panis Eucharisticus esse debet ex tritico, & aqua naturali confectus, solidus, & igne decoctus (3).

In. Potestne consecrari massa cruda, seu pasta?

R. Nec licite, nec valide potest, quia non est panis usualis, nec cibus hominum.

In.

(1) Vid. Catechism. Trident par. 2. tit. de Euchar. n. 10.

(2) Matth. 26. 26.

(3) Hinc excluduntur a Sacramento grana quaelibet naturam tritici non habentia, ut sunt *hordeum*, *avena*, *siligo*, seu *segale* &c. Excluditur pariter omnis mixtio lactis, aquae rosaceae, abdominis, ovorum, aliorumque id genus, quae ad communem, & usualem panem non pertinent.

In. Cuiusnam quantitatis debet esse panis consecrandus?

R. Quaelibet etiam magna panis quantitas valide consecrari potest. At eam tantum materiae quantitatem consecrare licet, quam Sacerdos prudenter iudicat a fidelibus sumi posse, antequam species computrescant.

In. Particula panis, aut vini guttula, si sensus fugiat, validene consecratur?

R. De essentia Sacramenti est, ut sit sensibile; ergo invalide consecraretur.

In. Valetne consecratio materiae, quae praesens non est?

R. Nulla est consecratio materiae, quae praesens non fuerit, cum forma profertur; nam pronomina *hoc*, *hic* demonstrant materiam praesentem, & sensibilem. Sufficit tamen praesentia moralis; nam haec sufficit ad veritatem formae.

In. Quid requiritur ad moralem materiae praesentiam?

R.

R. Tria postulantur:

I. Ut consecrans sciat, materiam ibi esse.

II. Ut materia sensu aliquo percipi possit, ut nempe ibi sita sit, ubi a consecrante possit sensu percipi, sive in se, sive in alio, ut in suo toto.

III. Ut sit propinqua.

In. Potestne valide consecrari materia, quae licet vicina, a tergo sit, vel sub mappa, vel post parietem, aliudve corpus opacum, quod non habet rationem thecae, seu vasis proxime illam continentis?

R. Minime, quia non est moraliter praesens, nec ullo sensu demonstrabilis.

In. Hostiae in Pyxide, seu Ciborio clauso contentae consecranturne, si ad eas dirigatur intentio?

R. Utique, quia ad moralem praesentiam rei sufficit, quod proximum illius rei continens sit praesens.

In.

In. Quale debet esse vinum Eucharisticum?

R. Vinum, ut sit idonea Eucharistiae materia, debet esse vinum naturale ex uvis expressum (1).

In. Aqua, quae calici infunditur, estne de essentia Sacramenti?

R. Aqua non est de necessitate Sacramenti; valide enim consecratur vinum purum; sed est de necessitate praecepti (2).

In. Curnam aqua vino miscenda ad Eucharistiam conficiendam?

R. I. Propter institutionem (3).

(1) Exinde infertur, non posse consecrari acetum, nec vini spiritum, nec succum expressum ex uva acerba, nec uvam ipsam, nec vinum congelatum &c.

(2) Aqua calici infundenda debet esse naturalis, non artificialis.

Pariter debet esse modicissima, ut sancivit Eugenius IV. in instructione Armenorum.

Non valet consecratio, si quantitas aquae vini quantitatem excedat.

Praeceptum de vino aqua temperando videtur esse mere Ecclesiasticum.

(3) *Creditur enim*, ut inquit D. Thom. 3. p. q. 74. art. 6., *quod Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua permixto secundum morem illius terrae;* unde & Proverb. 9. dicitur, *Bibite vinum, quod miscui vobis.*

II. Quia hoc convenit repraesentationi Dominicae Passionis: e latere enim Christi mortui Sanguis cum aqua effluxit.

III. Quia hoc convenit ad significandum effectum huius Sacramenti, qui est unio populi Christiani cum Christo (1).

IV. Quia hoc competit ad ultimum effectum huius Sacramenti, qui est introitus ad vitam aeternam (2).

In.

(1) Tres istas rationes, cur aqua sit vino miscenda in Missae Sacrificio, sic paucis perstringit Concilium Tridentinum sess. 13. c. 7. his verbis: *Monet deinde Sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; I. tum quod Christum D. ita fecisse credatur; II. tum etiam quia e latere eius aqua simul cum Sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur; III. & cum aquae in Apocalypsi B. Ioannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.*

(2) Ita D. Thom. 3. p. q. 74. art. 6., ubi quatuor istas recenset caussas, cur aqua vino immisceatur in Sacrificio Altaris. Et D. Cyprianus in epistola ad Caecilium id fieri explicat ob triplex mysterium.

I. Ob mysterium Sanguinis, & aquae, quae exierunt e latere Christi lancea perforato.

II.

In. Si Sacerdos advertat, se non posuisse aquam in vino consecrando, quid sibi agendum?

R. Si advertat ante calicis consecrationem, statim eam ponat: si autem post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia aquae infusio non est de necessitate Sacramenti.

In. Aqua calici immixta transsubstantiaturne in Sanguinem Christi?

R. Probabilior est sententia, quae asserit, aquam calici permixtam transsubstantiari. Non est tamen de fide.

In. Cur FF. Praedicatores, & antiquae observantiae Carmelitae prius aquam cum vino infundunt in calicem, quam Missae Sacrificium auspicentur?

R. Quia Latinum antiquae Ecclesiae ritum sequuntur, quo cautum erat,

prius

II. Ob mysterium Dominicae Incarnationis, qua natura humana coniuncta est hypostatice cum Divina.

III. Ob mysterium Unionis Fidelium cum Christo capite.

prius materiam esse praeparandam, quam Sacerdos Missam inciperet (1).

In. Quaenam Eucharistiae forma?

R. Duplex est Eucharistiae forma; alia, qua panis, alia, qua vinum consecratur (2).

In.

(1) Non ideo ritum istum sequuntur, quod tempus vino concedant ad vires suas in aquam exerendas, eamque donec vinum facta fuerit, fatigandam; hoc enim absurdissimum dictu est, ut testatur Cl. P. Drouven Ord. Praed. *De re Sacram.* Tom. 1. l. 4. c. 3. §. 4. q. 3. pag. 366. instit. 2.

(2) Forma essentialis panis consecrandi est, *Hoc est corpus meum*. *A SS. Evangelistis Matthaeo, & Luca, itemque ab Apostolo docemur, illam esse formam* essentialem Consecrationis panis: ita Catechismus Concilii Tridentini p. 2. de Euch. Sacram. num. 10. Unde nec particula *enim*, nec praecedentia verba ad *formae* essentiam pertinent. Peccaret tamen, qui vel ex *negligentia*, vel *ex certa scientia* omitteret vel particulam *enim*, vel aliquod ex verbis praecedentibus, quae secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae a B. Petro Apostolorum Principe derivatam sunt pronuntianda. Vid. D. Th. 3. part. q. 78. art. 2. ad 5. & D. Bonavent. in p. dist. 8. q. 3. Hinc invalidae sunt hae formae, *Ecce corpus meum; meum est hoc corpus; haec est caro mea; hoc corpus est meum*, quia non significant conversionem panis in Corpus Christi. Si quis diceret, *Hic est corpus meum*,

In. Quaenam est forma Consecrationis Corporis Christi?

R. Haec continetur hisce verbis, quae a Sacerdote proferuntur super panis materia, scilicet *Hoc est enim Corpus meum*.

In. Quaenam est forma Consecrationis Calicis?

R. *Hic est enim Calix Sanguinis mei novi, & aeterni Testamenti, myste-*

um, usurpando vocabulum *hic* pro adverbio, non consecraret; secus vero, si illud usurparet pronominis loco. Essentialis vero forma, qua vinum consecratur, *Hic est Sanguis meus*, vel *Hic est calix Sanguinis mei*. Satis enim his verbis significatur, quod est de Sacramenti essentia, nempe conversio vini in Christi Sanguinem. Praeterea non eaedem, sed variae sunt Liturgiarum formulae, nempe S. Iacobi, S. Marci, SS. Basilii, & Chrysostomi, quas refert Martenius lib. 1. de antiq. Eccl. ritibus cap. 4. art. 8. n. 19., in quibus essentialia consecrationis verba iam relata habentur. Hinc qui mutaret verba essentialia, ita ut variaretur significatio, non conficeret Sacramentum: si vero ita mutaret, ut significatio non variaretur, ut si diceret, *hic est cruor meus*, vel quid simile, Sacramentum conficeret, sed peccaret mortaliter. Est pariter veritas theologica, cetera huiusce consecrationis verba praetermitti non posse sine sacrilegii peccato.

ſterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

In. Quinam eſt ſenſus verborum formae?

R. Hoc, nempe hoc edulium eſt Corpus meum; & *Hic*, nempe potus eſt Sanguis meus (1).

In. Quid ſignificat verbum *eſt* in utraque conſecrationis forma?

R. Converſionem panis in Chriſti Corpus, & vini in Sanguinem.

In. Cur in conſecratione Corporis non dicitur, *quod pro vobis tradetur in remiſſionem peccatorum*, quemadmodum dicitur de Sanguine, *qui pro vobis effundetur?*

R. Reſpondet D. Thomas: *Sanguis ſeorſim conſecratus expreſſe Paſſionem Chriſti repraeſentat; ideo potius*

(1) Animadvertendum tamen eſt, pronomina *hoc*, vel *hic* non habere conſtantem ſignificationem. Nam in principio prolationis formae pronomen *hoc* ſignificat ſubſtantiam panis; in fine vero eiuſmodi prolationis ſignificat Corpus Chriſti. Idem prorſus dicendum de alio pronomine *hic*.

tius in consecratione Sanguinis sit mentio de effectu Passionis, quam in consecratione Corporis, quod est Passionis subiectum (1).

In. Quid sibi volunt verba illa, *novi & aeterni Testamenti?*

R. Sicuti testamentum est haereditatis dispositio, ita dicitur *novi, & aeterni Testamenti* ad significandum hoc Sacramentum fuisse dispositum tam in nova, quam in veteri Lege, necnon in aeternis Dei decretis.

In. Cur dicitur *Mysterium Fidei?*

R. Quia est res occulta figurata iam in veteri lege, modo vero est obiectum Fidei.

In. Curnam adiungitur, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?*

R. Verba haec designant valorem Passionis Christi non prodesse solum Apostolis manducantibus, sed etiam Gentilibus (2), nimirum Christi San-

(1) P. 3. q. 78. art. 3. ad 3. & ad 8.
(2) Idem S. Thom. loc. supracit.

Sanguinem effuſum eſſe & *pro multis*, ſcilicet pro omnibus.

In. Validane foret alterius ſpeciei ſine altera conſecratio?

R. Utique iuxta D. Thomae doctrinam (1) refellentis quorumdam Doctorum opinionem, vel potius errorem contrarium ſentientium.

In. Utriuſque ſpeciei conſecratio eſtne Iuris Divini, an Eccleſiaſtici?

R. Eſt Iuris Divini *abſolute*, *immediate*, ac *independenter*, utpote ſine qua integritas Sacramenti, aut Sacrificii divinitus inſtituti ſtare minime poteſt (2).

In.

(1) Vid. 3. p. q. 78. art. 6.

(2) Vid. Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. Ergo diſpenſatoriae Eccleſiae poteſtati id non ſubiacet, contra ac ſenſere Gabriel Azorius; Enriquez, Fagundez, qui Eccleſiae, ac Summorum Pontificum diſpenſationi utriuſque ſpeciei conſecrationem ſubiectam exiſtimarunt. Dixi proinde Iuris Divini *immediate*, & *abſolute*, ut ea exciperem, quae ſub illo non comprehenduntur, niſi interveniente aliquo humano actu, ſeu creatae voluntatis effectu, prout contingit in votis, iuramentis, & contractibus, in quibus ideo poteſt Eccleſia diſpenſare, quia auferre valet obligationis materiam, ſeu actum humanum, ſuper quo illa cadit, irritum reddere.

In. Facta consecratione, quid continet Eucharistia?

R. In Sanctissimo Eucharistiae Sacramento continetur vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguis, una cum Anima, & Divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totus Christus verus Deus, & verus homo sub specie rerum sensibilium (1).

In. Quidnam discriminis est inter realem Christi praesentiam in Caelis, & in Eucharistia?

R. In Caelis Christus visibilis apparet; in Eucharistia vero sub speciebus latet.

In. Per quam actionem sistitur praesens Corpus Domini in Eucharistia?

R. Per transubstantiationem (2).

In. Quid est transubstantiatio?

R. Est *conversio totius substantiae panis*

(1) Sic definivit Conc. Trid. sess. 13. can. 1. contra veteres, ac recentiores Haereticos asserentes, Christum in Eucharistia contineri vel per *signum*, vel per *figuram*, vel per *virtutem*.

(2) Conc. Trid. sess. 13. Can. 2.

nis in substantiam Corporis Christi Domini, & totius substantiae vini in substantiam Sanguinis eius per consecrationem (1).

In. Cur dicitur *conversio?*

R. Ut excludatur unio panis cum Corpore, vel cum Personalitate Christi Domini.

In. Cur adiungitur, *totius substantiae panis, & vini?*

R. Ut distinguatur transsubstantiatio ab aliis mutationibus, in quibus remanet saltem materia. Etenim in transsubstantiatione totum illud substantiale, quod dicebatur panis, convertitur in Corpus Domini (2).

In. At vox *transsubstantiationis* neque a Christo, neque ab Apostolicis ducta est temporibus, sed sero ab Ecclesia inducta est: licetne ergo Ecclesiae novas Fidei formulas aut voces introducere?

R.

(1) Ita definivit Conc. Trid. sess. 13. c. 4.

(2) Id definitum fuit a Concilio Tridentino adversus Lutheranos, qui utramque panis, & Corporis Christi substantiam in Eucharistia coniungunt.

R. Quotiescumque firma & immobilis permanet antiqua Fides, quid prohibet novas voces, aut novas Fidei formulas institui ab Ecclesia, quae magis accommodatae sint ad expressius significandam priscam Fidem contra novas emergentes haereses (1)? H *In.*

(1) Id plane Ecclesia consulto facere consuevit. Ad conterendam enim Arianorum haeresim vox ὁμοούσιος, idest *consubstantialis* inducta est a Nicaeno Concilio I. Oecumenico, tanquam fidei tessera ad significantius exprimendam antiquam Fidem de una Verbi cum Patre substantia, quam negabant Ariani. Ita pariter adversus haereticos negantes conversionem totius substantiae panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, Ecclesia aptissimam *transubstantiationis* vocem invexit ad hoc dogma expresse significandum; idque egit in Concilio Lateranensi IV. celebrato an. 1215. sub Innocentio III. cap. *Firmiter* his verbis: *Transubstantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem potestate divina.* Nec ideo novum, & inauditum dogma iis verbis statuit Ecclesia, ut blaterant haeretici, qui illud ab hoc Lateranensi Concilio primum excogitatum, conditumque adstruunt, sed adhibita dumtaxat aptissima *transubstantiationis* voce dogma illud declaravit Ecclesia, quod unanimi consensu tradiderant tum Graeci, tum Latini Patres, quodque *persuasum in Ecclesia Dei semper fuit*, ut docet Concilium Trid. sess. 13. cap. 4.

In. Christus Dominus estne totus sub qualibet specie?

R. De fide est, totum Christum sub qualibet specie contineri (1).

In. Contineturne Christus totus in qualibet parte hostiae, seu calicis?

R. De fide est, totum contineri facta separatione (2): sed ante separationem non ita certum est, totum contineri in qualibet parte, quamvis communiter id asserant Theologi (3).

(1) Vid. Conc. Trid. sess. 13. can. 3. Advertendum est, quod cum formae Sacramentorum in tantum operentur, in quantum significant; ideo, quia verba *Hoc est Corpus meum* significant Corpus, verba vero *Hic est Sanguis meus*, significant Sanguinem, & nihil aliud; revera *ex vi verborum* ponitur Corpus sub specie panis, & Sanguis sub specie vini. At iuxta Concilii Trid. definitionem, ipsum etiam Corpus sub specie vini, & Sanguis sub specie panis, & Anima sub utraque continetur *vi naturalis illius connexionis, & concomitantiae*, qua partes Christi Domini a mortuis suscitati, & non amplius morituri inter se copulantur. Divinitas vero sub utraque specie continetur propter admirabilem illam eius cum Corpore, & Anima *hypostaticam unionem*.

(2) Ita definit Conc. Trid. sess. 13., idque probat constans Ecclesiae Traditio.

(3) Notandum I., quod Christus Dominus

In. Peccatores recipiuntne verum Christi Corpus?

R. Constat tum ex Scriptura, tum ex Traditione, illud vere, & realiter recipere, sed *in iudicium*, & *condemnationem*, dicente Apostolo: *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit*.

In. Quinam est Minister Eucharistiae?

R. I. Solum Sacerdotem esse Ministrum Eucharistiae conficiendae, dogma fidei est, Scriptura, & Traditione comprobatum (1).

II. Eucharistiae dispensandae Minister ordinarius solus est Sacerdos: ex-

licet totus sit in Eucharistia, non habet tamen extensionem illam, quam habuit cum in terris versaretur, quamque habet ad dexteram Patris sedens; sed extensionem, quae respondeat extensioni specierum panis, & vini.

Notandum II., species, quae remanent facta consecratione, non esse accidentia illa physica a materia separata, ut excogitarunt Philosophi Peripatetici; sed esse tantum actiones Christi Domini, qui facta consecratione easdem in nostris organis sensoriis excitat sensationes, quas ante consecrationem excitabat substantia panis, & vini.

(1) Ita definivit Conc. Later. IV. cap. *Firmiter*, & Trid. sess. 22. can. 2.

traordinarius vero Diaconus, ut constat ex universali Ecclesiae Traditione (1).

In.

(1) Clerici Diaconis inferiores non possunt Eucharistiam dispensare solemniter, & in coetu publico; possunt tamen in casu necessitatis. Utraque responsionis pars patet ex usu, & praxi Ecclesiae. Pro priori parte habemus Concilia, quae munus illud non aliis ministris, quam Sacerdotibus, & Diaconis tribuunt. Altera pars eruitur ex monumentis historiae Ecclesiasticae, quibus constat, Acolythos olim detulisse Eucharistiam ad absentes. Prioribus seculis fideles soliti erant Eucharistiam domum asportare ad spiritualem suam refectionem. Usus tamen ille hodie inolevit, ut Eucharistia per inferiores Ministros, vel laicos dispensetur. Quamvis enim laicis Christi Corpus tangere liceat, inquit Angelicus in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. q. 1. ad 3., cum urget aliqua necessitas, ut si in immundo loco iaceret, vel timenda esset magna aliqua profanatio; illis tamen Sacramenti dispensatio non permittitur, quia huius receptio non est absolute necessaria. Unde ei, qui sacramentaliter nequit manducare, dicendum est, *Crede*, *&* *manducasti*, nimirum spiritualiter, quod in his casibus satis est. Opinio haec & reverentiae Sacramento debitae, & Ecclesiae consuetudini est conformior. Possent quidem Episcopi statuere, ut in huiusmodi casibus, deficiente Sacerdote, Diaconi Eucharistiam ad infirmos deferrent; sed sine tali approbatione convenientius est, ut abstineant.

In. An, & quo peccato peccet Sacerdos, qui sine superpelliceo, & stola, aliisque ritibus non servatis Sacramentum Eucharistiae administrat?

R. Communis, & vera sententia fert, quod peccet mortaliter (1).

In. Dispensandane est Eucharistia ex praecepto Divino sub utraque specie?

R. Nullum exstat Divinum praeceptum Eucharistiam sub utraque specie dispensandi, vel recipiendi; multi enim S. Scripturae textus innuunt, sumtionem unius speciei sufficere (2).

(1) Id clare colligitur ex cap. *Sane* de celeb. Miss., quia Stola super utrumque humerum est veluti tessera Sacerdotalis. Peccaret quoque, si extra Missam dispensans Eucharistiam omitteret caeremonias praescriptas, nempe si absque cereis accensis, & non praemissa absolutione Eucharistiam dispensaret; quia cum isti ritus sint gravissimi, accurate servandi sunt, sublata necessitate, ut tempore pestis, aliisque gravibus casibus.

(2) Sic Ioan. 6. Christus ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum ..... Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum;* ubi

In. Quotuplex eſt modus ſumendi Corpus Domini?

R. Triplex: *Sacramentalis* tantum; *Spiritualis* tantum; *Sacramentalis* ſimul, & *Spiritualis*.

In. Quinam ſunt, qui Sacramentalem-tantum Communionem recipiunt?

R. Peccatores; at fructum, nempe animae ſalutem ex ea non hauriunt; immo iſti *iudicium ſibi manducant*, *&* *bibunt*.

In. Quinam ſpiritualiter tantum communicant?

R. Qui voto, & fide viva Sacramentum

ubi aeterna vita promittitur ſolum Corpus manducantibus. Prioribus Eccleſiae ſeculis ad duodecimum uſque, quo nonnulli Epiſcopi ad evitanda aliqua pericula, & ſcandala prohibuerunt laicis Calicis uſum, Euchariſtia ſub utraque ſpecie diſpenſabatur: aliquando tamen, ut colligitur ex Patribus, etiam in publicis conventibus ſub unica ſpecie fuit diſpenſata. Id poſtea ſeculo XV. omnibus fidelibus praeceptum fuit a Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 13., & confirmatum a Tridentino ſeſſ. 21. cap. 1. Hac ſuper re legatur opus praeclariſſimum de Miſſae Sacrificio ſapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV. ſect. 1. n. 349.

tum iſtud ſuſcipere anhelant, fructumque experiuntur.

In. Quinam ſacramentaliter ſimul, ac ſpiritaliter hoc Sacramentum ſuſcipiunt?

R. Qui induti veſte nuptiali, ſcilicet Gratia ſanctificante ornati ad ſacram hanc Menſam accedunt (1).

In. Quandonam interdictus fuit in Ecclesia Occidentali uſus ſumendi Euchariſtiam ſub utraque ſpecie?

R. In Concilio Conſtantienſi lata primum fuit lex pro Communione ſub unica ſpecie, nempe panis, idque contigit anno 1415.

In. Quibus de cauſſis eiuſmodi uſus fuit interdictus?

R. Cauſſas iſtas attigerunt Patres Concilii Baſileenſis, eaeque ſunt ſequentes:

I. proximum effuſionis periculum:

II. inopia vini in nonnullis regionibus:

III. horror, quem multi concipiebant bibendi ex eodem vaſe:

 IV.

(1) Conſulatur Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 8.

IV. haereticorum pertinacia, qui impie asserebant, Communionem sub utraque specie ex divino praecepto esse fidelibus dispensandam.

In. Quodnam est Eucharistiae subiectum?

R. Omnis, & solus homo baptizatus, & viator est capax huius Sacramenti: fructus vero illius capax est ille tantum, qui accedit dispositus (1).

In. Estne amentibus deneganda Eucharistia?

R. Amentes vel tales sunt a nativitate, quibus nullus rationis usus umquam illuxit; vel ex morbo, & casu in amentiam delapsi nunquam pristinae rationi redduntur; vel demum lucida quaedam rationis intervalla habent.

Secundi, & tertii ordinis amentibus

(1) Per duodecim priora secula Eucharistiam Ecclesia ministravit infantibus sub specie vini; sunt enim capaces non solum Sacramenti, sed etiam fructus eius. Iustis tamen de caussis contrariam induxit disciplinam, quam probavit Concilium Trid. sess. 21. cap. 4.

bus dumtaxat concedenda est Eucharistia, cuius aliquod significarunt antea desiderium (1).

In. Quid dicendum de energumenis?

R. Energumeni ii sunt, qui immundis spiritibus obsidentur, ac vexantur. Hac super re ponderanda est Alexandri de Ales distinctio. *Quidam*, inquit, *energumeni sunt, qui peccatis suis exigentibus arreptitii iusto Dei iudicio facti sunt, quibus accidit, ut in blasphemias, aliaque Deo contumeliosa frequenter prorumpant.*

Iis non est dandum Christi Corpus. *Alii energumeni sunt, qui ob praecedentem aliquam tepiditatem divina permissione ad maiorem eorum purgationem, ac meritorum augmentum quibusdam temporum intervallis a ma-*

(1) Eodem tempore obsolevit usus dandi Eucharistiam primi ordinis amentibus, quo infantibus. Circa amentes secundi, & tertii ordinis eadem servanda est regula, quae de infirmis servatur. Consulatur D. Thomas 3. par. q. 80. art. 9. ad 2., & Rituale Romanum, ubi de infirmorum Communione edisserit.

malignis vexantur ſpiritibus, quorum devotio non ideo minuitur. Talibus, quando ſe offert opportunitas, adminiſtranda Euchariſtia, ut adverſus maligni ſpiritus vexationes fortius invaleſcant.

In. Eſtne danda Euchariſtia mutis, & ſurdis?

R. Mutis, & ſurdis a nativitate, etſi capaces ſint percipiendae cum fructu Euchariſtiae, ſi nullo letali peccato ſint obſtricti; tamen ex diſciplina Eccleſiae, ſi nullum huius Sacramenti deſiderium, ſi fidem ſuam, ac pietatem nullatenus poſſint ſignificare, deneganda eſt: ſecus ſi deſiderium, fidem, ac pietatem praeſeferant, vel ſi ſubito caſu obmuteſcant.

In. Peccatoribus vel facti evidentia, vel iudicis ſententia notoriis concedine licite poteſt?

R. Nequaquam; nam iuris eſt naturalis, ac divini, ut indigni ab Euchariſtia arceantur (1).

(1) Chriſtus Dominus Matthaei 7. 6. dixit: *Nolite ſanctum dare canibus*.

In. Concedendane est occulto peccatori?

R. Vel ipse petit secreto, & absque ullis testibus, & tunc deneganda omnino est; licet Sacerdos de Communionis administratione requisitus requirentis peccatum ex illius confessione sacramentali cognoverit (1). Vel petit publice, & tunc concedenda Eucharistia est (2).

In. Quinam sunt effectus Eucharistiae?

R. I. Eucharistiae effectus est Gratia sanctificans, non quidem prima, qua deletur peccatum mortale, sed secunda, nempe augmentum Gratiae, qua homo fit sanctior.

(1) S. Thomas in 4. Sentent. dist. 9. art. 5.

(2) Poterit tamen Sacerdos publice ministrans omnibus in commune edicere, ne quis peccati labe inquinatus, nec antea Ecclesiae reconciliatus ad sacram Mensam audeat accedere. Et si nihilominus se se offerat, non licebit illum repellere. Idem S. Thomas 3. par. quaest. 80. art. 6. per totum. Idipsum docet sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. lib. 7. de Synod. cap. 11. §. 4. & seqq. Ita agendum demonstravit exemplo suo Dominus noster, dum Iudae occulto adhuc peccatori Sacramentum Corporis sui dare non renuit.

II. Est remissio peccatorum venialium, & poenae, quae illis debetur, ut docet D. Thomas (1).

III. Est praeservatio a peccatis futuris (2).

IV. Est delectatio spiritualis iuxta illud, *Pinguis est panis Christi, & praebebit delicias regibus*.

V. Perfectam cum Christo parit unionem.

VI. Est sensuum, & appetituum compressio.

VII. Influit Eucharistia in gloriosam corporum resurrectionem; quatenus Deus ad vivificanda corpora movetur per coniunctionem, quam habuerunt cum vivificante Christi Carne.

In. Eucharistia remittitne poenam temporalem peccatis debitam?

R. Eucharistia, ut est Sacrificium, offertur in remissionem peccatorum. Ut Sacramentum est, non remittit directe, & ex opere operato; re-

(1) Part. 3. quaest. 79. art. 5.
(2) Conc. Trid. sess. 13. cap. 2.

remittit tamen indirecte, & ex opere operantis.

In. Quo tempore producit Eucharistia recensitos effectus?

R. In ipsa manducatione; Sacramenta enim operantur in usu signi exterioris.

In. Quae dispositiones requiruntur in adultis ad Eucharistiam digne recipiendam?

R. Aliae spectant animam, aliae corpus. Ex parte animae requiritur:

I. Immunitas a peccato mortali.

II. Immunitas ab affectu ad venialia (1).

III. Singularis reverentia erga Christum praesentem; nempe fides viva, spes firma, caritas fervens, memoria, ac meditatio Passionis Christi.

IV. Sincerus animus intendendi finem huius Sacramenti.

Ex parte corporis requiritur:

I. Ieiunium naturale, non quidem ex

(1) Vid. D. Thom. in 4. dist. 12. art. 1. quaest. 2. in resp. ad 2. quaest.

ex praecepto Divino, sed tantum Ecclesiastico, excepto tamen mortis articulo, aut periculo (1).

II. Mundities ab omni foeditate carnali etiam non peccaminosa.

In. Praeceptum de praemittenda Confessione ab eo, qui est in peccato mortali, estne divinum, vel humanum?

R.

(1) Ieiunio naturali, adeoque & Communioni minime obstant ea, quae per modum salivae, vel respirationis in stomachum decidunt, uti sunt

I. reliquiae minimae vini, aut aquae, quibus os abluitur mixtae condensiori salivae:

II. reliquiae ciborum dentibus adhaerentes, ac postea casu traiectae. Ita Missale Romanum.

III. Idem dicendum de sanguine, vel humore a capite defluente; aut de flocco nivis per respirationem attracto, cum haec omnia non transglutiantur per modum cibi, vel potus, vel medicinae; secus dic de saccharo, glycyrrhiza, vel alio simili sensim in ore liquescente, & simul cum saliva in stomachum decidente; quia quod sic liquescit, censetur esse id, quod principalius traiicitur, & tunc est continuata comestio cibi, quae fit per continuam liquefactionem, & traiectionem. Tabacum vero masticatum, aut fumatum, etsi ieiunium haud frangat, nemo negaverit, id dedecere. Hac super re legatur cap. 13. lib. XI. de Syn. Dioeces.

R. Communior ſententia docet, eſſe divinum latum a Chriſto Domino, ac declaratum a Paulo Apoſtolo his verbis: *Probet autem ſeipſum homo* (1).

In. Concilii Tridentini mandatum (*quod nempe ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque praevia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur*) obligatne etiam laicos?

R. Laicos etiam obligare eiuſmodi mandatum, probabilior opinio eſt; nam eadem fere ratio viget reſpectu laici, ac Sacerdotis, licet ſolus Sacerdos a Tridentino fuerit expreſſus.

In. Quaenam dici debet urgens, & gravis neceſſitas?

R. Tres caſus poſſunt occurrere, in quibus ſine praevia confeſſione, & ſolo actu contritionis praemiſſo quis poſſit Sacramentum ſuſcipere.

I. Quando Sacerdos occaſionem ſcandali

(1) Sententiam hanc docet Dominicus Soto in 4. diſt. 12. queſt. 1. art. 4., quam ſequutus eſt Benedictus XIV. Tract. de Miſſ. Sacrif. par. 4. ſect. 2. n. 88.

dali praeberet, si tali die non celebraret.

II. Si tali die teneatur communicare vel ex instituto, vel ex consuetudine, nimirum quia ceteri sibi pares communicant.

III. Si Parochus celebrare debeat, ut consecret particulam ad infirmum deferendam (1).

In. Quot peccata committit celebrans in peccato mortali?

R. Sacrilegium duplex perpetrat contra virtutem Religionis I. indigne conficiens, II. indigne manducans Sacramentum. Tertium quoque addunt Theologi complures, quia indigne sibi ministrat (2).

In. Estne praeceptum, vel consilium, quod Sacerdos, qui gravis culpae conscius, deficiente copia Confessarii, ac necessitate urgente, celebravit absque praevia Confessione, *quamprimum* debeat confiteri?

(1) Haec est doctrina cuiusdam auctoris Biel lectione 7. in Canonem Missae, quae quidem doctrina commendatur a pluries laudato Pontifice Benedicto XIV. de Sacrif. Miss. l. 3. c. 11. n. 6.

(2) Vid. idem tract. de Sacrif. l. 3. c. 11. n. 2.

R. Est quidem praeceptum; idque declaratum fuit ab Alexandro VII. (1).

In. Vox illa *quamprimum* quomodo intelligi debet? estne fortasse intelligenda, cum Sacerdos suo tempore confitebitur?

R. Minime, ut patet ex declaratione eiusdem Pontificis (2); sed habet vox illa *quamprimum* moralem latitudinem, ac proinde extendi potest ad unum, vel alterum diem.

In. Necessariane est Eucharistia fidelibus?

R. Duplex est necessitas, alia medii, alia praecepti. Necessarium necessitate medii est illud, sine quo finis obtineri non potest. Sic ad vitam necessarius est cibus, quia

(1) Inter alias propositiones ab hoc Pontifice damnatas est propositio 38. ab eodem proscripta die 18. Martii 1666., quae sic habet: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.*

(2) Propositio ab ipso Alexandro VII. proscripta est huiusmodi sub num. 39. *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

quia ſine cibo vivere nequimus. Neceſſarium neceſſitate praecepti eſt illud, quod praecipitur, licet res praecepta per ſe non ſit neceſſaria ad finem conſequendum.

His poſitis, dico

I. Euchariſtiam non eſſe neceſſariam neceſſitate medii, quia Scriptura, & Patres una voce aſſerunt, Baptiſmo ablui omnia peccata, & hominem effici membrum Chriſti, & Eccleſiae.

II. Eſſe neceſſariam neceſſitate praecepti Divini; inquit enim Chriſtus Dominus (1): *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*.

III. Euchariſtiam neceſſariam eſſe neceſſitate praecepti Eccleſiaſtici (2).

In. Quandonam urget praeceptum Divinum, quando Eccleſiaſticum?

R. Praeceptum Divinum ſumendi Euchariſtiam obligat in probabili mortis

(1) Ioan. *6.*

(2) Id conſtat ex Conc. Lateran. IV. can. *Omnis utriuſque ſexus*.

tis periculo ; Ecclesiasticum vero singulis annis.

In. Durante eadem infirmitate potestne eidem infirmo iterum Viaticum deferri ?

R. Potest, immo & debet iterum, & tertio administrari, praesertim si ipsimet aegrotantes iterum caelestem illum panem esuriant (1).

In. Quibus in casibus Sacerdos non ieiunus potest seipsum communicare ?

R. I. Si ipse loco vini aquam infudisset calici, quem errorem non deprehendisset, nisi hausta aqua, adeoque ieiunio soluto; tunc enim deberet utramque materiam prius mente solum oblatam consecrare, & perficere Sacrificium.

II. Si ante consecrationem advertat se non esse ieiunum, & grave timeat scandalum, desistendo a Missa persequenda.

III.

(1) Id patet ex declaratione saepius laudati Pontificis Benedicti XIV. lib. 7. de Syn. Dioecesi. cap. 12.

III. Si id pariter adverterit post consecrationem.

IV. Si post consecrationem morte corripiatur, aut gravi morbo infirmetur, debet per alium Sacerdotem non ieiunum, si ieiunus desit, perfici Sacrificium.

V. Si post sumtam ablutionem calicis reperiat aliquas reliquias hostiae a se consecratae, debet illas sumere, quia tota illa actio reputatur una, & eadem Sacrificii consumtio.

VI. Immo si reversus in sacristiam fragmenta in patena, vel calice inveniret, posset eadem sumere cum ad idem Sacrificium pertineant, eamdemque actionem (1).

VII. Posset demum Sacerdos non ieiunus sumere Eucharistiam, ne in manus haereticorum, & infidelium, qui eam conculcarent, & contumeliis afficerent, perveniret.

DE

(1) Secus dicendum de fragmentis consecratis ab alio Sacerdote; haec enim sumi debent a Sacerdote ieiuno, aut reponi.

In. QUotuplici ratione ſpectari poteſt Sacrificium?

R. Duplici; ſpectari enim poteſt I. in ſua ampla ſignificatione; II. poteſt proprie, ac preſſe accipi.

In. Quidnam comprehendit Sacrificium primo modo, ſcilicet generatim conſideratum?

R. Comprehendit omne opus bonum, ſive internum, ſive externum, quod in Dei gloriam dirigitur.

In. Ergone eleemoſyna, ieiunium, preces, actus fidei, ſpei, & caritatis, contritionis, & cetera huiuſmodi poſſunt ſacrificii nomen adſciſcere?

R. Maxime; dummodo ea omnia in Dei honorem referantur (1).

In. Quid importat ſacrificium ita ſpectatum?

R.

(1) Id expreſſe habètur in Pſalmo 49. *Immola Deo ſacrificium laudis*. Rurſus *ſacrificium laudis honorificabit me*. Item *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum*.

R. Duo importat; I. ut opus bonum ſit : II. ut in Dei gloriam dirigatur (1).

In. Quid eſt Sacrificium ſecundo modo ſpectatum ?

R. Sacrificium proprie dictum definitur *Oblatio rei ſenſibilis cum aliqua eius deſtructione , ſeu immutatione ſoli Deo facta per legitimum Miniſtrum ad recognoſcendum ſupremum eius dominium in omnes creaturas*.

In. Cur dicitur *oblatio rei ſenſibilis ?*

R. Res , quae offertur , debet eſſe ſenſibilis , ut per hoc Sacrificium proprie dictum diſtinguatur ab actibus Religionis internis , qui lato tantum modo vocantur *ſacrificia*.

In. Cur dicitur *cum aliqua eius deſtructione ?*

R. Quia Sacrificium proprie dictum differt a ceteris oblationibus , in quibus res oblata non eſt neceſſario deſtruenda.

In.

(1) Vid. D. Auguſt. lib. 10. de Civ. Dei cap. 6., & D. Thom. 3. par. q. 22. art. 2.

In. Curnam adiungitur, *seu immutatione?*

R. Quia ad rationem Sacrificii proprie dicti sufficit, ut in victima fiat aliqua immutatio, ut patet ex sacrificio *capri emissarii*, qui non occidebatur, sed tanquam exul in desertum amandabatur (1), adeoque mystice destructus putabatur respectu populi, cuius oculis non amplius apparebat.

In. Cur *soli Deo?*

R. Quia illi soli debetur Sacrificium stricte sumtum in testimonium supremi eius dominii.

In. Cur dicitur *per legitimum Ministrum?*

R. Quia non solum in novo foedere, sed etiam in veteri lege, immo in ipsa lege naturae semper extitere ministri legitimi ad sacrificia offerenda deputati (2).

In.

(1) Levitic. 16.

(2) Non solum in Lege Evangelica id demonstratur ex Christi institutione, & ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. & can. 1., sed

In. Cur tandem additur, *ad recognoſcendum ſupremum eius dominium* &c.?

R. Quia cum Deus ſit Dominus omnium, cultus latriae ei iure debetur, ſicuti gratiarum actio pro beneficiis humano generi collatis, necnon expiatio pro peccatis: quae omnia ſacrificiis exhibentur.

In. Quid ex illa definitione eruitur?

R. Eruitur, quod ad ſacrificium proprie dictum tria requiruntur:

I. Miniſter legitimus:

II. Oblatio rei ſenſibilis:

III. Aliqua rei oblatae, ſeu victimae deſtructio ad recognoſcendum ſupremum Dei dominium in omnes creaturas.

In. Quomodo tria haec Euchariſtiae conveniunt, ut Sacrificium ſpectatae?

R. I. Chriſtus Dominus principalis of-

ſed in Moyſis quoque lege ſcripta id clare colligitur ex Num. 3., ex primo Reg. 13., & 2. Paralip. 26., & in lege naturae ex Gen. cap. 14., ubi Melchiſedech dicitur obtuliſſe panem, & vinum; & ratio adducitur, *Erat enim Sacerdos Dei Summi*.

offerens est *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech* (1).

II. In Eucharistia fit oblatio rei sensibilis, nempe Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, ut constat ex Traditione (2).

III. In Eucharistia reperitur immolatio, seu victimae destructio, quae vel fit *mystice*, ut in Sacrificio, vel *realiter*, ut iam in Cruce facta fuit (3).

I In.

(1) Vid. Conc. Trid. seff. 22. cap. 1., ubi legitur: *Qui coena &c.*

(2) S. Cyprianus epistola 63. ait: *Quis magis Sacerdos Dei Summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest panem, & vinum, suum scilicet Corpus, & Sanguinem.* Idem tradunt SS. Augustinus lib. 1. contra adversarium legis cap. 2., S. Hieronymus epistola 26., additque, hanc fuisse sententiam Martyris Hippolyti, ac S. Irenaei, qui erant temporibus Apostolorum proximi.

(3) Ad rationem veri sacrificii necesse non est, ut oblatio, & mactatio fiant eodem temporis instanti, sed satis est, ut *moraliter* sint coniunctae. Et revera Christus Dominus Summus novi Testamenti Sacerdos secundum ordinem

In. Differtne ſacrificium ab oblatione?

R. Utique; ſacrificium enim requirit aliquam immutationem, debetque fieri circa rem, quae offertur in ſacrificium; quod plane oblationes ceterae haud requirunt.

In. Curnam in ſacrificio aliqua eſſe debet immutatio, aut deſtructio?

R. Quia ſic clarius, & expreſſius proteſtamur, a Deo tanquam ſupremo Domino omnia pendere, ipſumque rerum omnium habere pleniſſimam diſpoſitionem.

In. Eſtne ſemper neceſſaria deſtructio?

R. Minime; ideoque addita eſt parti-

nem Melchiſedech in noviſſima coena ſeipſum prius Deo Patri obtulit ſub ſpeciebus panis, & vini, quam in Cruce immolaretur; & ſic ſacrificium Crucis, & ſacrificium Altaris eſt unum & idem ſacrificium, *ſola offerendi ratione diverſa*, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. In Cruce enim Chriſtus ſeipſum obtulit *in propria ſpecie*, & *modo cruento*; in Altari vero quotidie ſe offert *incruente*, & *in ſpecie aliena*, ſcilicet panis, & vini. Ibi perfecta fuit abolitio peccatorum quoad ſolutionem pretii redemtionis noſtrae: hic fructus ſacrificii Crucis applicantur.

ticula illa *cum aliqua*; sed sufficit, ut fiat destructio, seu immutatio illa, per quam hostia accipiat statum *secundum esse naturae* humiliorem, magisque tendentem ad destructionem, quam ad persistentiam.

In. Quotuplex est sacrificii divisio?

R. Triplex; dividitur enim

I. ratione materiae:

II. ratione formae:

III. ratione finis.

In. Quomodo dividitur sacrificium ratione materiae?

R. I. In hostias, seu victimas:

II. in immolationes:

III. in libamina.

In. Quid erant in veteri lege *hostiae*, seu *victimae*?

R. Erant oblationes animalium, quae offerebantur post victoriam ab hostibus reportatam.

In. Undenam *hostiarum*, seu *victimarum* nomen acceperunt huiusmodi sacrificia?

R. *Hostiarum* nomen ab *hostibus* de-

victis: *victimarum* a *victoria* de ipsis hostibus reportata.

In. Poterantne in lege veteri cuncta animalium genera offerri?

R. Certa dumtaxat animalia offerre licebat, nempe *oves*, *capras*, *haedos*, *boves*, *vitulos*, *columbas*, *passeres*, *turtures*.

In. Quaenam erant *immolationes*?

R. Erant oblationes rerum inanimarum, ac solidarum; cuiusmodi erant *panis*, *simila*, *sal*, *thus*, *manipulus spicarum virentium*, & *triticum* (1).

In. Quomodonam immolationibus sacrificii nomen aptari potest?

R. Quia res illas, quae offerebantur, levabat in altum Sacerdos, & varie immutabat (2); in qua immutatione ratio sacrificii consistebat.

In. Quid erat *libamen*?

R.

(1) Id habetur Levitic. 2. & 6.

(2) Panis in frusta scindebatur; simila sartagine, clibano, vel craticula cremabatur; sal urebatur; thus adolebatur; manipulus spicarum torrebatur; triticum conterebatur.

R. Erat oblatio rerum liquidarum, puta *ſanguinis*, *vini*, *olei*, *aquae*.

In. Quomodo dividitur ſacrificium ratione formae, & finis?

R. Dividitur I. in holocauſtum:
II. in ſacrificium, vel hoſtiam pro peccato:
III. in hoſtiam pacificam.

In. Quid erat *holocauſtum*?

R. Erat perfectiſſimum ſacrificium in lege veteri, quo res tota conſumebatur, ut nihil inde cederet in uſum humanum, ad declarandum, ac proteſtandum ſupremum Dei in res omnes dominium, perfectamque dependentiam creaturae a Creatore.

In. Quid erat *ſacrificium pro peccato*?

R. Erat illud, quod partim cremabatur, partim cedebat in uſum Sacerdotum, qui in atrio Templi ex eo veſcebantur (1).

In. Pro quibus peccatis offerri ſolebat ſacrificium iſtud?

R. Pro internis ſimul, & externis qui-

(1) Hinc *peccata populi comedere* dicebantur Sacerdotes, ſcilicet victimas pro peccato oblatas.

quibusdam, nimirum pro iis commissis per ignorantiam circa coeremonias legales (1), vel etiam pro peccato furti, periurii, & calumniae (2).

In. Quid dicendum de *hostia pacifica?*

R. Erat illa, quae partim cremabatur, partim edebatur tum a Sacerdotibus, tum etiam ab iis, qui eam offerebant.

In. Quibus de caussis offerri solebat hostia pacifica?

R. Solebat offerri in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, vel ad nova impetranda; & tunc differri poterat eius consumtio in diem posterum, non tamen ulterius.

In. Quomodo dividitur sacrificium ratione finis?

R. Quadruplex vulgo distinguitur:

I. Est *Latreuticum*, quia specialiter offertur ad exhibendum cultum Deo rerum omnium Domino:

II.

(1) Id patet Levitic. 4., & 5.
(2) Constat Levitic. 6., & 7.

II. Est *Eucharisticum* pro gratiarum actione :

III. *Propitiatorium* pro peccatorum remissione :

IV. *Impetratorium* pro beneficiis a Deo obtinendis (1).

(1) Est ergo Missa;

I. *Holocaustum*, quo defertur Deo supremus latriae cultus; in eo enim Christus offert se totum Deo Patri, sicuti obtulit se semel in Cruce, & offert se iugiter in caelo. Nec possumus adorare Deum per actum Religionis praestantiorem, & Supremae Maiestati acceptiorem, quam si Christum, & nos cum ipso Augustissimae Triadi offeramus.

II. *Eucharisticum* est sacrificium; nihil enim est efficacius ad reddendas Deo gratias pro acceptis beneficiis, quam si offeratur ipsi fons gratiarum omnium Christus ipse, de cuius *plenitudine nos omnes accepimus*.

III. *Pro peccato* etiam est sacrificium, seu *propitiatorium*, ut in illius institutione loquitur Christus ipse 1. Cor. c. 11. v. 24. & Matth. c. 26. v. 28. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hic est calix Sanguinis mei, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

IV. *Hostiae* pariter *pacificae* est sacrificium, seu *impetratorium*; offertur enim ad impetrandum quidquid nobis ad salutem animi, & corporis est necessarium. Nihil possumus impetrare a Deo, nisi per Christum: at offerimus in hoc Sacrificio Christum ipsum, qui solus est mediator,

In. In quo differt Sacrificium a Sacramento?

R. Differt in eo, quod Sacramentum est signum, quo Deus significat, se gratiam conferre obicem non ponenti; atque ideo signum verum est, & infallibile, quia Deus fallere non potest. Sacrificium vero est signum, quo homo exterius profitetur Deo, se totum illius servituti esse mancipatum; in quo falsitas, & mendacium esse potest, ut contingit in peccatoribus.

DE SACRIFICIO MISSAE.

In. QUibus nominibus designatur Eucharisticum Sacrificium?

R. Varia est tum apud Orientales, tum apud Occidentales Sacrificii huius appellatio: mos tamen inva-

tor, *per quem habemus accessum ad Patrem.* Qui autem dat nobis Christum offerendum in hoc Sacrificio, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?*

valuit, ut apud Graecos *Liturgia*, apud Latinos *Missa* vocetur.

In. Quid *Liturgiae* nomen significat?

℟. Vox haec graeca est, quae idem sonat, ac *publicum munus*, & *ministerium* (1).

In. Quid sibi vult *Missae* nomen?

℟. Dicitur *Missa* a verbo latino *mitto*; sive quia, ut docet Angelicus (2), Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem; sive quia Christus est Hostia nobis missa a Deo; sive quia peracto Sacrificio populus dimittitur (3).

I 5 *In*.

(1) Ab Ecclesiae autem exordio consecratum est hoc Liturgiae nomen ad significandum sacrosanctum Corporis, & Sanguinis Christi Sacrificium, quia nullum est in Ecclesia ministerium magis solemne, quam actio Sacerdotis sacrificantis Corpus, & Sanguinem Christi.

(2) Par. 3. q. 83. art. 4.

(3) Hugonis Victorini verba lib. de Eccl. Off. c. 47. sunt haec: *Dicit Diaconus*, Ite Missa est, *quasi revertimini ad propria: ab hac missione, idest dimissione Missam dicunt appellari*. Hanc vocem latinam esse, nec a Graecis, aut Hebraeis, aut Septemtrionalibus originem illius repetendam, neque alia de caussa, quam ad significandam missionem populi introductam,

pro-

In. Antiquusne est hic usus?

R. Antiquissimus, a quarto enim ut minimum seculo usus invaluit, ut Eucharisticum Sacrificium Missae nomine designaretur.

In. Convenitne Sacrificio Missae superius allata sacrificii stricte sumti definitio?

R. Convenit utique. Est enim oblatio rei externae, & sensibilis Deo facta per legitimum Ministrum in recognitionem supremi illius in nos, & in res omnes dominii (1).

In.

probabilior fert, & communior sententia: quod si quaerat aliquis, cur a plebis dimissione tota Sacrificii actio nomen habuerit, nihil, quod convenientius respondeamus, occurrit, nisi voluntate maiorum id contigisse, ea quippe ratione, qua a parte totum nominari, usu sic volente, videmus.

(1) Missae convenit data superius Sacrificii notio; etenim

I. est oblatio exterior rei sensibilis, nempe Corporis, & Sanguinis Christi, quae licet nobis modo sint insensibilia, sunt tamen sensibilia in se, nobisque sensibilia redduntur per species consecratas, in quibus realiter continentur Corpus, & Sanguis Iesu Christi.

II. Haec oblatio fit Deo, ut patet ex verbis Ca-

In. Quid est stricte loquendo Missae Sacrificium ?

R. Est oblatio Corporis, & Sanguinis Christi a Christo ipso (1), & Ecclesia (2) Deo facta per mini-

Canonis, a legitimo Ministro ab Ecclesia consecrato, ac destinato.

III. Est & mactatio victimae oblatae, quae est Christus, qui ex vi verborum sacramentaliter mactatur, quatenus vi verborum expressorum ponitur Corpus separatum a Sanguine; in hoc enim consistit victimae mactatio: nam ex vi prolationis verborum ponitur sub specie panis solum Corpus, & sub specie vini solus Sanguis: quamvis nunc ob coniunctionem, quam habent in Christo iam vivente, unum sit alteri reapse coniunctum; quod non evenisset in triduo Mortis Christi, si Apostoli consecrassent, quia tunc revera Sanguis erat separatus a Corpore; unde in Hostia extitisset nedum sacramentaliter, sed etiam realiter solum Corpus sine Anima, & Sanguine; & in Calice solus Sanguis sine Anima, & Corpore, quia tunc revera Christus ita erat. D. Thom. p. 3. q. 81. c. 4. ord. 2.

IV. Denique omnia haec fiunt ad protestandum supremum Dei dominium.

(1) Sacrificium Missae est *Sacrificium Christi*, quia solus est Sacerdos, cui proprie, & absolute nomen hoc competat, utpote qui solus immolavit reipsa victimam, cuius fit oblatio.

(2) Sacrificium Missae est *Sacrificium Ecclesiae*

sterium Sacerdotum (1) sub specie panis, & vini ad continuandum, & repraesentandum Crucis Sacrificium (2).

In. Quot numerantur Missae actiones?

R. Sex:

I. est oblatio panis, & vini ante Consecrationem:

II. ipsa Consecratio, & transmutatio panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi:

III.

clesiae, quia Ecclesia, & Fideles per manus Sacerdotis Christum, & sese cum Christo offerunt Sacrificium Deo.

(1) Sacrificium Missae est *Sacrificium Sacerdotum*, *Episcopi* nempe, vel *Presbyteri offerentis*, quia Episcopi, & Presbyteri sunt Sacerdotes, (utpote quos Christus fecit sui Sacerdotii participes, in quantum eorum lingua, & manu utitur ad Sacrificii oblationem, ceteraque sacerdotalia munia) quorum ministerio Christus immolat se *mystice*, & offert in altari.

(2) Sacrificium Missae est *continuatio & repraesentatio Sacrificii in Cruce oblati*, quia in utroque eadem victima, Sacerdos idem est; nec differt alterum ab altero, nisi in oblationis modo, ut alibi diximus. *In Divino hoc Sacrificio*, docet Tridentina Synodus sess. 2. cap. 2., *quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit*

III. Oblatio Corporis, & Sanguinis Christi post consecrationem :

IV. Fractio, & commixtio Sacramenti :

V. Consumtio Sacramenti a Sacerdote consecrante facta :

VI. Distributio, & sumtio respectu fidelium.

In. In quanam eiusmodi actionum sita est essentia Eucharistici Sacrificii ?

R. In sola consecratione utriusque speciei (1).

In. Oblatio panis, & vini pertinetne ad essentiam Sacrificii ?

R.

(1) Ad essentiam veri sacrificii requiritur oblatio, & immolatio victimae sensibilis: at in consecratione vera est oblatio; Christus enim per consecrationem verus agnus, & victima per species panis, & vini sensibiles Deo sistitur, & offertur in altari: in consecratione pariter Christus Dominus immolatur non quidem cruente, sed mystice, quatenus vi verborum consecrationis Corpus eius ponitur seorsim a Sanguine sub specie panis, & Sanguis eius seorsim a Corpore ponitur sub specie vini, quamvis utrumque sub qualibet specie actu contineatur; unde per consecrationem fit mystica quaedam effusio Sanguinis Christi; adeoque Sacrificium Eucharisticum dicitur *Incruentum*.

R. Minime; quia eſt mera praeparatio ad ſacrificium, eſtque inſtitutionis Eccleſiaſticae; ſacrificium vero eſt inſtitutionis Divinae.

In. Pertinetne ad ſacrificii eſſentiam oblatio, quae conſecrationem conſequitur?

R. Nequaquam, cum non ſit a Chriſto, ſed ab Eccleſia inſtituta.

In. Eſtne Communio Sacerdotis pars eſſentialis ſacrificii?

R. Probabilior ſententia videtur, quod communio illa ſit pars integralis. Verumtamen eſt de Iure Divino, quia conſecratio eſſentiam ſacrificii conſtituens exprimit ordinem neceſſarium ad conſumtionem oblatorum.

In. Conſecratio unius ſpeciei eſtne ſacrificium?

R. Minime, cum deſit expreſſa ſignificatio mortis Chriſti, quae in ſeparatione utriuſque ſpeciei, ac myſtica immolatione ſita eſt; quae repraeſentatio, & commemoratio neceſſaria eſt ex Chriſti Domini praecepto.

In. Differtne essentialiter Sacrificium Missae a Sacramento Eucharistiae?

R. Essentia Sacrificii Missae distincta est ab essentia Sacramenti.

I. Quia essentia Sacrificii partim consistit in actione sacrificandi, partim in victima immolata, & oblata: at essentia Sacramenti nullo pacto consistit in actione, sed in sola re permanente, quae ex actione ipsa resultat:

II. Essentia Sacrificii postulat utriusque speciei consecrationem ad repraesentandam Christi mortem, & passionem: essentia autem Sacramenti integra est sub una specie tantum:

III. Sacrificium per se primario, & immediate ad cultum Dei ordinatur: Sacramentum vero ad nostram sanctificationem (1).

In.

(1) Essentia Sacramenti prius *tempore* perficitur, quam Sacrificii essentia; nam Sacramentum essentialiter perficitur per unius speciei consecrationem; Sacrificium vero per consecrationem utriusque: constat autem, unius speciei con-

In. Idemne significant voces istae *fructus*, *effectus*, & *valor* Sacrificii Missae?

R. Minime.

In. Quid igitur debet intelligi nomine *fructus?*

R. *Fructus* ea dicuntur bona, quae Deus intuitu Sacrificii offerenti impertitur, vel his, pro quibus offertur.

In. Quotuplex est Sacrificii fructus?

R. Triplex: *generalis*, *specialis*, *specialissimus*.

In. Quis est *generalis?*

R. Est ille, qui omnia Christi membra complectitur.

consecrationem *ordine temporis* priorem esse consecratione utriusque speciei. Verumtamen ordine *intentionis*, prior est essentia Sacrificii, quam Sacramenti, quia principalius intenditur cultus, & honor Dei, quam nostra utilitas; unde potestas sacerdotalis primario refertur ad Sacrificium Deo offerendum, & secundario ad conficiendum Sacramentum. At ordine *executionis*, essentia Sacrificii posterior est, quia ex parte rei oblatae supponit totum id, quod pertinet ad rationem Sacramenti; & insuper requirit aliquid aliud ad rationem Sacrificii, nempe mysticam mactationem, & consecrationem utriusque speciei.

In. Quisnam est fructus *specialis?*

R. Specialis, seu medius ille est, qui in commodum cedit illius, pro quo Sacerdos celebrat, & a quo stipendium accipit.

In. Cui plus prodest Sacrificium?

R. Illi, cui applicatur (1).

In. Quisnam est fructus *specialissimus?*

R. Specialissimus dicitur, qui cedit in bonum dumtaxat celebrantis.

In. Quid est *valor* Sacrificii?

R. Est virtus illa, qua Sacrificium praeditum est (2).

In.

(1) Vid. D. Thom., qui rem totam explicat in 4. dist. 45. art. 4. qu. 1. & 2. Nam ut ratiocinatur Suarez a sapientissimo Pont. Bened. XIV. laudatus in suo aureo opere de Syn. Dioecef. l. 5. c. 8. §. 6., aut sacrificium consideratur tanquam propitiatorium, seu satisfactorium; & certe pro illo speciatim satisfacit, in cuius debiti solutionem Deo exhibetur: aut tanquam impetratorium; & profecto ad beneficia illi uberius elargienda Deum movet, pro quo nominatim Sacerdos divinam Hostiam immolans Deum exorat.

(2) Hinc distinguendus valor ab effectu sacrificii; valor quippe significat, ut innuebam, moralem dignitatem, quam habet; effectus vero significat id, quod de facto datur intuitu illius dignitatis.

In. Quotuplex est Sacrificii valor?

R. Duplex, unus *ex opere operato*, alter *ex opere operantis*. Primus ex ipso opere immediate a Christi instituto dimanat (1). Secundus pendet a merito, ac dignitate Ministri, aut suscipientis.

In. Habeturne semper primus sacrificii valor?

R. Semper quidem habetur, nisi obex adsit (2).

In. Habeturne semper & secundus?

R.

(1) Valor, qui percipitur *ex opere operato* respondet Christi meritis, ac distribuitur iuxta dispensationem a Christo ipso factam: hic autem nec augeri, nec minui potest ex sanctitate, aut pravitate Ministri.

(2) D. Thomas Part. 3. q. 79. art. 7. In hoc enim Sacramento, in quantum rationem habet Sacrificii, repraesentatur Passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo: & sicut Passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpae, & adeptionem gratiae, & gloriae, sed effectum non habet, nisi in illis, qui Passioni Christi coniunguntur per fidem, & caritatem; ita & hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicae Passionis, non habet effectum, nisi in illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & caritatem.

R. Non ſemper habetur , cum pendeat a celebrantis devotione .

In. Eſtne infinitus valor Sacrificii Miſſae ?

R. Sufficientia infinitus , *efficientia* eſt finitus .

In. Cur *ſufficientia* infinitus ?

R. Quia eadem victima ibi offertur , quae in Cruce pro noſtris , & totius mundi peccatis oblata eſt ; idem Sacerdos , idem Sacrificium ſola offerendi ratione diverſum : atqui Victima in Cruce oblata infiniti fuit valoris , ac meriti , & ad innumerabilium hominum redemtionem pleniſſime ſufficiens : ergo idem eſt de Sacrificio Euchariſtico dicendum .

In. Cur *efficientia* eſt finitus ?

R. Quia non omnes eius virtute ſalvantur , licet pro omnibus offeratur . Deinde Sacrificium Euchariſticum Chriſtus inſtituit , ut per illud nobis applicaretur virtus Sacrificii in Ara Crucis modo cruento oblati : atqui Sacrificium Cru-

cis

cis non fuit efficientia infinitum; ſcilicet effectum infinitum non habuit: ergo multo magis id dicendum de Sacrificio incruento.

In. Quae cauſſa eſt, cur Sacrificii Euchariſtici virtus ſecundum efficientiam ſit finita?

R. Ex mero Chriſti beneplacito eſt petenda. *Quamvis virtus Chriſti*, ut inquit D. Thomas (1), *quae continetur ſub Sacramento Euchariſtiae, ſit infinita, tamen determinatus eſt effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur.*

In. Unde petenda applicatio, ſeu quantitas fructus ex Euchariſtico Sacrificio provenientis?

R. Pendet praecipue ex Dei beneplacito; minus praecipue ab intentione Miniſtri Eccleſiae nomine offerentis, & a devotione illius, pro quo ſpecialiter offertur.

In. Quid ſunt Sacrificii *effectus*?

In.

(1) In diſt. 45. q. 2. art. 4. quaeſtiunc. 2. ad 2.

R. Sunt bona ſpiritualia, ac temporalia, quae obveniunt iis, pro quibus offertur Sacrificium (1).

In. Quinam ſunt effectus Sacrificii Miſſae?

R. I. Miſſae Sacrificium eſt propitiatorium, valetque ad peccatorum veniam, & ſatisfactionem. Per ſacrificium vero peccata non remittuntur immediate, ut per Sacramenta, ſed mediate tantum, quatenus Deus intuitu huius Sacrificii largitur peccatori gratias actuales, quibus ad poenitentiam excitatur, atque diſponitur ad remiſſionem culpae adſequendam.

(1) Effectus Sacrificii licet ſubinde ſit ac fructus, non tamen ſemper cum eo convenit;
I. vel enim Sacrificium ſpectatur, ut eſt *conſecratio*, & ſic illius effectus eſt Sacramentum Euchariſtiae:
II. vel etiam ut eſt *ſumtio*, & ita eius effectus eſt gratiae ſanctificantis augmentum:
III. vel tandem ut eſt *oblatio*; & hocce pacto ſunt bona ſpiritalia, vel temporalia, quae Deus intuitu Sacrificii tribuit offerenti, aut iis, pro quibus offertur. *Huius oblatione placatus*, docet Tridentinum Conc. ſeſſ. 22. cap. 2., *Dominus gratiam, & donum poenitentiae concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.*

II. Reatus poenae temporalis per Sacrificium saltem ex parte immediate relaxatur; nam legitime offertur pro defunctis ad poenae relaxationem.

III. Iustis prodest ad virtutis, & gratiae sanctificantis augmentum, quatenus per illud conceduntur gratiae actuales, per quas iusti eliciunt bona opera meritoria huius augmenti.

IV. Per Sacrificium impetrantur bona temporalia, v. gr. sanitas, salubritas aeris &c. in hypothesi, quod ex Dei ordinatione conferant ad salutem.

In. Missae Sacrificium habetne vim producendi eiusmodi effectus *ex opere operato*, vel *operantis?*

R. Ex opere operato; primo enim Sacrificii vis, perinde ac Sacramenti non pendet a privata Ministri conditione bona, vel mala (1); secun-

(1) *Munda illa oblatio est*, inquit Conc. Tridentinum sess. 22. cap. 1., *quae nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.*

cundo eadem eſt Hoſtia, idem Offerens, qui fuit in Sacrificio Crucis; ergo vis & efficacia Sacrificii Miſſae tota fluit ex Chriſto, qui ſimul Hoſtia eſt, ac principalis Offerens; cuius virtutem impedire, aut retardare nequit ſua malitia Miniſter ſecundarius, ac minus principalis.

In. Poteſtne Sacrificium offerri pro Sanctis?

R. Non poteſt offerri niſi ſoli Deo, quia Sacrificii oblatio eſt latriae cultus, adeoque ſoli Deo convenit.

In. Quaenam igitur eſt Eccleſiae intentio, cum Miſſae de Sanctis celebrantur?

R. Offerre ſcilicet Deo Sacrificium in gratiarum actionem I. ob collata ipſis gratiae auxilia, quibus eorum victoriae, ac merita ſunt referenda; II. ob donum gloriae, quo eos coronavit.

In. Curnam ipſorum memoriam facimus in Miſſae actione?

R. I. Ad excitandam imitationem; II.

II. ut meritis eorum consociemur ;
III. ut eorum orationibus adiuvemur.

In. Offerrine potest Sacrificium pro omnibus fidelibus defunctis?

R. Pro defunctis tantummodo, qui Purgatorii poenis cruciantur ; & offertur utiliter tum ut satisfactorium, tum ut impetratorium ; utroque enim nomine possumus iis suffragari. Pro illis vero, qui aeterni ignis poenas sustinent, offerri non licet, cum eorum sententia nequeat revocari.

In. Pro quibus viventibus offerri potest?

R. Pro omnibus sive iustis, sive peccatoribus, qui sunt in unitate & communione Ecclesiae (1).

In.

(1) Quamquam Ecclesia in publicis precibus non orat expresse, ac directe pro infidelibus, schismaticis, atque haereticis, nisi in die feriae sextae maioris hebdomadae ; ac vetat suo nomine orare, & offerre pro excommunicatis ab unitate & communione Sanctorum praecisis ; non tamen prohibet privatim orare pro ipsis, ut conversionis gratia iisdem tribuatur, dummodo in precibus, quae nomine Ecclesiae, ac pro Ecclesiae membris fiunt, non nominentur. Ita D. Thom. in 4. sent. dist. 18. q. 2. a 1. quaestiunc. 1.

In. Sacerdotes ſceleſti, excommunicati, ſchiſmatici, degradati &c. validene Sacrificium perficiunt?

R. Maxime, quia poteſtas Ordinis non deletur.

In. Quot peccata committit Sacerdos, qui celebrat conſcientiam habens lethali peccato inquinatam?

R. Benedictus XIV. (1) laudat doctrinam cuiuſdam Auctoris dicentis: *Peccat duobus mortalibus peccatis distinctis; uno, quia indigne conſecrat; alio, quia indigne manducat &c. quia manducare, & conſecrare ſunt duo actus diſtincti, & in qualibet indigna executione committitur peccatum mortale.*

In. Cuius miniſtri ſunt Sacerdotes Sacrificium offerentes?

R. Sunt Miniſtri Chriſti, qui eſt principalis offerens in Miſſae Sacrificio. Sunt etiam Miniſtri Eccleſiae, & Fidelium, qui per eorum miniſterium vota ſua Deo reddunt.

(1) In ſuo eximio Opere de Sacrif. Miſſae lib. 3. cap. 11. §. 2.

In. Excusarine possunt a peccato Sacerdotes, qui nunquam celebrant?

R. Quamvis lege Divina non adstringantur ad certum Sacrificiorum numerum statis temporibus offerendorum; lege tamen Ecclesiastica frequenter celebrare tenentur sub gravi (1).

In. Quibus diebus tenetur Sacerdos celebrare?

R. Celebrandi obligationem D. Thomas refert ad festa principaliora, in quibus fideles communicare solent (2). Verum probabilior sententia statuit, ut Dominicis, & re-

(1) Id eruitur ex verbis Innoc. III., qui in Conc. Lateran. IV. in eos Sacerdotes invehitur his verbis: *Sunt & alii, qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno. . . . Haec igitur & similia sub poena suspensionis inhibemus*. Hinc Caietanus cum in suis Commentariis ad art. 10. q. 82. scripsisset, leviter tantum peccare Sacerdotem, qui raro, vel nunquam celebrat; S. Pius V. doctrinam hanc utpote laxiorem ex Commentariis eiusdem expungi mandavit.

(2) Sotus advertit, Praeceptorem suum nimis hac ratione extenuasse praeceptum, cum nihil Sacerdotibus prae laicis iniunxerit.

reliquis Festis diebus celebrare non omittat (1).

In. Teneturne Sacerdos sub gravi Dominicis, & Festis diebus celebrare?

R. Quaestionem hanc definire noluit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. (2).

In. Quibus diebus celebrare non licet?

R. Solo Parasceves die, qui proinde dicitur *Aliturgicus*; sicuti quoque prohibentur sub gravi Missae privatae Feria V. in Coena Domini, & Sabbato S., etiamsi in hoc occurrerit festum Annunciationis B. M. V. (3).

(1) Ita praecipit S. Carolus in Conc. Mediolan. I. part. 2.

(2) Idem tamen subdit:

I. Non esse a gravi culpa immunem, qui intra annum non celebrat.

II. Non esse absolvendum, qui statueret, nunquam per totum anni cursum Missae Sacrificium peragere. Vid. praelaudatum Opus de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 1. §. 9.

(3) Extat hac super re S. Congregationis Rituum decretum sub die 11. Februar. ab Alexandro VIII. sub die 11. Martii approbatum an. 1690.

In. Qua hora celebrare licet?

R. Hora celebrandi iuxta Rubricam Missalis Romani incipit ab aurora (1) usque ad meridiem.

In. Quid per auroram intelligitur?

R. Primum diei crepusculum, quo Missam inchoare licet; immo hiemali tempore duabus horis ante solis ortum.

In. Licetne post meridiem celebrare?

R. Non licet, nisi ad modicum tempus prorogetur Missae inchoatio, ita ut ante mediam horam post meridiem Sacerdos Missam incoeperit (2).

In.

(1) Id duplici ex caussa ab Ecclesia praecipi observant Auctores: partim quia Christus offertur *Candor lucis aeternae*; partim quia Sacrificium est legis gratiae, quo illucescente umbrae omnes evanescunt: tum etiam quod ante illud tempus vix homines ad eiusmodi Religionis opus exequendum sunt dispositi.

(2) Raro accidit, ut in hac materia peccetur saltem graviter, quemadmodum ipse P. Concina concedit. *Aequitate quadam*, inquit Bened. XIV. in supralaud. Op. de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 7. §. 5., *iuxta eam quae etiam Romae viget praxim, tolerari solet, ut Missa horae triente ante auroram, & post meridiem celebretur*.

In. Quibus in locis celebrandum est?

R. Regula Canonica est, Missam celebrandam vel in Ecclesiis, vel in Oratoriis publicis, vel privatis, dummodo quoad haec privilegium Papae intercesserit (1).

In. Potestne in Oratoriis privatis quolibet die celebrari?

R. Vetitum est celebrare in Festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Annuntiationis, Assumtionis, Apostolorum Petri, & Pauli, & Omnium SS.,

(1) Privilegium istud cessat morte privilegiati, non autem Papae. Si privilegiatus domicilium mutet in aliam dioecesim, secum defert privilegium, cum sit personale: requiritur tamen Episcopi approbatio; & haec quidem, etiamsi fiat mutatio in eadem civitate, quia Episcopus primum, non alterum locum approbavit. Praeterea privilegiatus unum Oratorium in Villa, aliud in Civitate habere nequit, nisi id Papa expresse concesserit. Item ad normam eiusdem privilegii celebrare minime licebit in domesticis Oratoriis, nisi aliquis intersit, cuius praesentia in privilegio ipso requiritur, & non excedatur numerus Missarum, qui ibidem decernitur. Vid. Bened. XIV. in sua Constitutione sub die 12. Februarii an. 1739. incipiente *cum duo nobiles*.

nisi aliter exprimatur, aliisque diebus in Indulto exceptis (1).

In. At si ob aliquam rationabilem caussam permittat Pontifex, ut etiam illis solemnioribus diebus Missa in Oratoriis istis celebretur; poteruntne celebrari in iis die Nativitatis Domini tres Missae?

R. Poterunt quidem ex Decreto Sacrae Congregationis Concilii (2).

In. Licetne celebrare sine ministro?

R. Hunc abusum olim inductum damnarunt Concilia, quae post Tridentinum habita sunt (3).

In.

(1) Viget Decretum S. Congr. 17. Nov. 1607., & aliud quoque Clem. XI. die 15. Decembris 1703. emanatum. Hinc tam celebrans, quam celebrare faciens diebus supra expressis, peccant graviter contra grave praeceptum; simulque violant praeceptum de audienda Missa, cui nec celebrans, nec audientes satisfaciunt, quemadmodum declaravit Clemens XI. in suo Decreto sub die 15. Decembris an. 1703.

(2) Vid. Benedict. XIV. in pluries laudato Opere de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 4. §. 8., in quo habetur huiusmodi Decretum die 20. Ian. an. 1725. emanatum.

(3) Vid. Conc. Mediolan. I. tit. 5., & Conc. Me-

In. Possuntne mulieres ad hoc ministerium adhiberi?

R. Minime: hoc enim expresse vetant etiam in casu necessitatis Sum-

Mediolan. VI. tit. 15., Remense an. 1583., Tolosanum an. 1590., Narbonense an. 1609., quibus cautum est, ne quis Sacerdos solus, ac sine uno saltem Ministro sacra perficiat. Verumtamen Missae solitariae in Monasteriis quondam celebrari consueverunt nullo ministrante; id vero deinde vetitum fuit, cum nulla esset ratio, cur Sacerdos diceret: *Dominus vobiscum*, & *Sursum corda*. Concilium Moguntinum sub Leone III. cap. 43. ita statuit: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte: quomodo enim dicet*, Dominus vobiscum, *vel* Sursum corda *admonebit habere*, & *alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?* Atque hac ratione quidam tantopere sunt commoti, ut dubitaverint, num si nullus alius praeter ministrum adesset, celebrari Missa posset, ut apparet *ex can. 61. de consecrat dist.* 1. Generalis itaque ea regula est, non posse Missam sine uno saltem ministro celebrari iuxta Decretalem Alexandri III. in cap. *Praeposuit* de Filiis Presbyterorum, ubi legitur: *Non enim solus Presbyter Missarum solemnia, vel alia divina Officia potest sine ministri suffragio celebrare*. Potest tamen Sacerdos etiam sine ministro Missam celebrare, sibique ipse respondere, si Viaticum opus sit infirmo ministrare, ut docet Sylvius 3. par. q. 83. art. 5. relatus a Bened. XIV. in suo Op. de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 7. §. 3.

mi Pontifices Gelasius (1), & Innocentius IV. (2).

In. Quotuplex peccatum committit Sacerdos, qui exigit maiorem eleemosynam, quam taxatio Episcopi praescribat?

R. Duplex; nam & Ecclesiae legem infringit, & ipsam iustitiam commutantem laedit (3).

In. Ad quid igitur tenetur?

R. Ad restitutionem excessus eleemosynae ab Episcopo taxatae faciendam iis, qui Missas celebrandas tradiderunt.

In. Requiriturne, ut eleemosyna sufficiat pro integra unius diei substentatione?

R. Minime, quia actio Sacrificii non re-

(1) Quinto Ecclesiae seculo epist. 9. c. 26. Inquit laudatus Pontifex: *Impatienter audivimus, tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut foeminae Sacris Altaribus ministrare ferantur.*

(2) Pontifex hic seculo XIII. epist. 10. ad Othon. Card. c. 4. ita scribit: *Mulieres servire ad Altare non audeant, sed ab illius ministerio omnino arceantur.*

(3) Vid. Synod. Dioecesi. Bened. XIV. lib. 5. cap. 2.

requirit totum diem, sed horae medietatem. Accedit etiam, quod Sacerdotes seculares ad sacros non promoventur Ordines absque titulo vel patrimonii, vel beneficii (1).

In. Poteſtne Sacerdos per alium celebrare, retenta sibi stipendii accepti parte?

R. Minime ob damnatam opinionem contrariam ab Alexandro VII. (2).

In. Quot peccata patraret, qui id facere auderet?

R. Duplex, quia iustitiam laederet, & quia negotiationem exerceret Clericis in materia etiam profana, & a fortiori in materia sacra vetitam (3).

In. Quid dicendum de Sacerdote, qui

(1) Ita sentit Bened. XIV. in sua Eccles. Institut. LVI. §. 4.

(2) *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Haec propositio sub num. 9. proscripta fuit a laudato Pontifice sub die 24. Septembr. 1665.

(3) Ita docet D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3.

deficiente eleemoſyna a celebrando deſiſteret ?

R. Simoniae ſuſpicionem ingereret (1).

In. Quam poenam incurreret Sacerdos, ſeu laicus, qui collectis pro Miſſis eleemoſynis in iis locis, ubi ſunt pretii maioris, eas celebrari curaret in locis, in quibus pro minori pretio celebrari ſolent?

R. Si laicus fuerit, qui tale mercimonium ageret, excommunicationem; ſi Clericus, vel Sacerdos ſuſpenſionem incurreret a ſolo Romano Pontifice abſolvendam (2).

In. Poteſtne Sacerdos, qui exigua accipit a pluribus ſtipendia, ſingulis Miſſam promittens, una ſola Miſſa ſatisfacere ?

R. Minime (3).

In.

(1) Auctor opuſc. de offic. Sacerd. cap. 1. D. Thomae olim tributi inquit: *Non poteſt tamen Sacerdos illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam conſequatur, quia peccaret mortaliter.*

(2) Ita decernit Bened. XIV. in ſua Conſtit. 22., cuius initium, *Quanta cura*.

(3) Adfirmans Suarez opinio hac ſuper re im-

In. Poteſtne accipere duplex ſtipendium, alterum pro officiatura, ut dicitur, in Eccleſia deſignata; alterum pro applicatione?

R. Nequaquam (1).

In. Poteſtne duplex accipere ſtipendium, unum pro impetrationis, aliud pro ſatisfactionis fructu?

R. Quidquid nonnulli fuerint commenti, nullo pacto poteſt (2).

In. Licetne unica Miſſa pluribus obligationibus ſatisfieri?

R. Non licet, quia Summus Pontifex Urbanus VIII. id vetuit, &

improbata eſt, cum Urbanus VIII. plura promulgaverit decreta, & Innocentius XII. confirmaverit, inter quae hoc adnumeratur, nimirum ut qui plura exigua ſtipendia a diverſis Fidelibus congeſſerit, tot Miſſas celebret, quot pro ratione ſuſceptae pecuniae celebrari queunt. Ita Bened. XIV. in eod. Op. de Sacr. Miſſae lib. 3. cap. 22. §. 5.

(1) Ex decr. Sac. Congr. Conc. die 9. Ian. & 6. Febr. an. 1627. ab eodem Bened. XIV. relato Tom. 3. Inſtitut. 15. & lib. 3. cap. 22. §. 6. de Sacrif. Miſſae.

(2) Id minime permitti poſſe, reſponſum fuit a S. Conc. Congregatione die 13. Dec. an. 1659.

Alexander VII. in thesi 10. contrariam propositionem damnavit.

In. Quando quis plura stipendia accepit, ad quantum temporis potest differre Missarum celebrationem?

R. Urbanus VIII. in suo decreto vetat, ne plures Missae acceptentur, quam quae *intra modicum tempus* (1) valeant celebrari. Definiri quantitas temporis nequit; sed circumstantiae, ac praesertim offerentium voluntas, ac necessitas, pro quibus levandis Missae praescribuntur, attendendae.

In. Qui vovit Sacrificium offerre pro gratiarum actione, potestne stipendium accipere?

R. Minime, quia praesumitur, hanc habuisse intentionem.

In. Qui accepit stipendium, ut celebret Missam *de Requiem*, graviterne peccat aliam Missam celebrando?

R.

(1) Modicum tempus definivit S. Congregatio Concilii, esse unum mensem. Ita Bened. XIV. de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 24. §. 14.

℟. Non peccat graviter ; servanda tamen, cum Rubricae permittunt, fides offerenti, monendusque, talem Missam celebrari non posse.

In. Culpane caret anticipata Missarum celebratio, scilicet si Missa celebranda crastino die, celebretur hodie?

R. Culpa caret, cum sit in offerentis commodum, nisi alia sit offerentis intentio.

In. Qui celebrare tenetur quotidie per *seipsum*, poteſtne semel in hebdomada reverentiae caussa sacrum omittere?

R. Quaestioni huic respondet Bened. XIV. (1), inquiens, Sacerdotem *posse interdum omittere celebrationem Missae, si legitima intervenerit caussa; neque tamen eo die, quo omittit Sacrificium facere pro instituto re, Missam pro alio celebrare posse, multoque minus eleemosynam accipere*.

In.

(1) De Sacros. Miss. Sacrific. lib. 3. cap. 3. §. 6.

In. At poteritne diebus licitae vacationis Missam celebrare pro seipso?

R. Ne hoc quidem poterit (1).

In. At quid dicendum, si iste utpote indignus a Confessario suspendatur?

R. Debet per alium Sacerdotem onus suum implere.

In. Quid agendum, quando testator Capellaniae non praescribit Missarum numerum?

R. Episcopus consulendus.

In. Si Capellanus aegrotet, debetne per alium celebrare?

R. Per duos circiter menses a celebrando per alium communis auctorum sententia ipsum liberat. In praxi tamen ad Episcopum confugiendum pro hac impetranda facultate.

In. Requiriturne intentio, & qualis offerendi Missam?

R.

(1) Ita resolutum fuit a S. Congr. Conc. die 18. Sept. 1683. super aliquot dubiis ab Episcopo Collensi propositis, quae quidem videri possunt in praelaudato opere sub iisdem lib. & cap. §. 7.

R. Utique, & sufficit habitualis (1); debet autem esse certa ac determinata, ne Sacrificii fructus maneat suspensus.

In. Quandonam elici debet intentio?

R. Ante Missam, vel certe ante Consecrationem.

In. Licetne Missam celebrare pro illo, quem Deus novit, primo daturum stipendium?

R. Non licet (2).

(1) Vid. Bened. XIV. in praecit. Opere lib. 3. cap. 16. §. 8., quo ita scribit. *Cum de intentione scripsimus, quam Sacerdotem habere oportet Missam celebraturum, faciendi id, quod Ecclesia facere intendit, optimam docuimus esse intentionem actualem; virtualem tamen sufficere; minime vero habitualem. At intentionem applicandi Sacrificium vulgatior sententia statuit, sufficere habitualem; applicatio enim est quasi quaedam donatio, seu translatio fructus, qui e Missa percipiendus est; quae donatio, seu fructus translatio valida est, etiamsi multo tempore ante facta sit, & multis actibus interrupta, dummodo revocata non fuerit.*

(2) Sac. Conc. Congregatio pronunciavit, non licere Missam celebrare cum intentione ei applicandi, qui primus obtulerit eleemosynam, idque approbavit Clemens VIII., atque edidit Paulus V. Integrum hoc decretum refert Marchinus de Ord. tract. 3. part. 2. cap. 31. n. 9. & Pasqualigus de Sacrif. Miss. q. 168.

In. Quibus diebus animarum curam gerentes offerre debent pro commisso sibi grege?

R. Cunctis diebus Dominicis, aliisque per annum diebus festis de praecepto (1).

In. Arctanturne per seipsos hisce diebus ad eiusmodi celebrationem?

R. Ita ordinarie loquendo arctantur, ut neque praesente cadavere celebrare possint pro defuncto, & ad alium diem Missam pro Populo celebrare, neque huic celebrationi supplere per alium (2).

(1) Patet apertissime ex Epistola Sacrae Congregat. Concilii sub die 28. Augusti 1743., in qua declarata, & indicta fuit talis obligatio Parochis Dioecesis Florentinae. Quae quidem obligatio deinde confirmata, & extensa fuit a Benedicto XIV. ad omnes Ordinarios per Italiam per Encyclicam diei 19. Augusti 1744., ubi permittitur dumtaxat, ut Episcopus possit dispensare cum Parochis pauperibus a celebrando pro Populo diebus festis, ita tamen, ut celebrent in Ecclesia Parochiali, ac totidem Missas intra hebdomadam pro populo ipso celebrent, quot diebus festis intra hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem alicuius benefactoris obtulerint.

(2) Ita declaravit S. Concil. Congreg. *in Fe.*

In. Quinam sunt ritus, quibus Missa celebrari debet?

R. Ritus alii praecedunt, alii comitantur Sacrificium.

Ritus, qui praecedunt, spectant locum, tempus, & personam. Nomine *loci* intelliguntur Templa, Altaria, Vasa Sacra, & lumina. *Tempus* indicat horam celebrandi, nempe ab aurora ad meridiem. Ad *personam* attinent vestes sacrae, sine quibus nunquam licitum est celebrare (1).

Ritus qui comitantur sunt ipsae Missae partes, quae quatuor sunt (2).

I.

Fesulana Missae Parochialis 26. Ianuar. 1771., uti videre est in Additione secunda ad cap. 11. part. 1. Augustini Barbosae *de Officio*, & *Potest. Paroch.* Auctore Ubaldo Giraldi a S. Caietano Cl. Reg. Schol. Piar.

(1) Vid. praelaud. Op. de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 7. §. 1.

(2) Duplex generatim Missae pars olim distinguebatur: prima ad *Offertorium* usque, quae dicebatur *Missa Catechumenorum*, ac *Poenitentium*, quod huic interesse licitum illis foret: altera vero pars dicebatur *Missa Fidelium*, qua finita Fideles dimittebantur his verbis: *Ite, Missa est*, seu dimissio est.

I. Ab initio usque ad offertorium, & dicitur *Missa Catechumenorum*, *& Poenitentium*, quia huic tantum parti Catechumeni, ac Poenitentes interesse poterant (1).

II. Ab offertorio usque ad consecrationem.

III. A consecratione usque ad communionem.

IV. A communione usque ad finem (2).

In. Praeter potestatem, quam habet Sacerdos, conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi, & Sacrificium offerendi, habetne aliam potestatem? *R.*

(1) Huiusmodi parte expleta, Diaconus altiore voce clamabat, *Exite Catechumeni*, *poenitentes*, *indigni:* vel etiam *Sancta Sanctis; foris canes*.

(2) De Ordine Missae fuse non minus, quam docte pertractarunt inprimis Benedictus XIV. in suo peregregio Opere de Sacrosancto Missae Sacrificio lib. 2. a cap. 3. ad cap. usque 14.; Petrus Le Brun Tom. 1. per totum; Pouget Instit. Catholic. Tom. 2. Videatur etiam ex gallico in italicum sermonem translatio Litterarum P. Seedorff in quaedam controversiae puncta litt. 9. pag. 203. editionis Florentiae; & Cl. D. Abbatis Martini eruditissimum Opusc. italice scriptum, ac Taurini editum an. 1776. de Sacrosancto Sacrificio Missae.

R. Habet etiam poteſtatem remittendi, ac retinendi peccata.

In. Poteſtne, ſtatim ac Presbyteratus Ordinem ſuſcepit, priorem illam exercere poteſtatem?

R. Quoad validitatem utique; verum ut licite celebret, prius debet eſſe inſtructus in Rubricis, & celebrandi facultate munitus a ſuo Ordinario.

In. Quid eſt remittere peccata?

R. Eſt poteſtas abſolvendi a peccatis, quam Presbyter exercet, cum poenitentes diſpoſitos in ſacra Confeſſione abſolvit.

In. Quid eſt retinere peccata?

R. Eſt poteſtas negandae, vel ſuſpendendae abſolutionis, cum Presbyter poenitentes minus diſpoſitos, vel non aeque diſpoſitos iudicat.

In. Quis eiuſmodi poteſtatem Sacerdotibus tribuit?

R. Chriſtus ipſe, cum Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittun-*

tur

tur eis, & *quorum retinueritis*; *retenta sunt* (1).

In. Sacerdos eo ipso quod est ordinatus, potestne statim absolvere?

R. Non potest, quia potestas absolvendi ipsi in Ordinatione tradita exerceri nequit extra mortis articulum, antequam per Ordinarium loci eidem iurisdictio tribuatur.

In. Si Sacerdos post Ordinationem sine alia facultate valide consecrat, cur valide non absolvit?

R. Disparitas est, quia consecrandi potestas cum non sit iudiciaria, versatur circa materiam, quae non pendet a iurisdictione Ecclesiastica: potestas vero absolvendi cum exerceatur tanquam iudicium, versatur circa materiam, quae iurisdictio-

(1) Ioan. 20. 23. Solus quidem Deus potest peccata remittere propria auctoritate; sed Christi & Dei auctoritate remittere queunt etiam illi, quibus hanc potestatem Deus est impertitus. Apostolis autem, eorumque Successoribus ipsam tribuisse, ex laudato textu, aliisque tum Scripturae, tum Traditionis, quae Theologi collegerunt, testimoniis manifestum est.

ctionem requirit (1)?

In. Poteritne unquam absolvere simplex Sacerdos, etsi non approbatus ad Confessiones?

R. Non poterit nisi in mortis articulo (2).

In. Quinam est mortis articulus?

R. Dicitur mortis articulus, quando mors imminet ex caussis intrinsecis, nimirum corporis infirmitatibus; unde in praxi ille versari intelligitur in mortis articulo, qui in eo statu reperitur, ut mors eius verisimiliter timeatur.

In. A quonam accipit simplex Sacerdos

(1) Eadem quippe ratione, qua iudex nequit valide ferre iudicium nisi in suos subditos; Sacerdos itidem absolvere, vel ligare nequit nisi suos subditos, in quos iurisdictionem habeat: vi solius Ordinationis subditos non habet; ergo requiritur auctoritas, & approbatio Ecclesiae Antistitum, qui dum ipsum approbant, eidem in suos subditos iurisdictionem impertiuntur. Ita docet Concil. Trid. sess. 23. de Ref.

(2) Conc. Trid. sess. 14. de Poenit. c. 7. *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.*

dos absolvendi facultatem in eiusmodi casu?

R. Ab Ecclesia, quae neminem vult perire.

In. In tali mortis articulo potestne simplex Sacerdos absolvere ab omnibus peccatis Pontifici reservatis, atque etiam ab omnibus censuris?

R. Utique; tunc etenim nulla est reservatio.

In. Quomodo se gerere debet Sacerdos ipse cum poenitente in hoc articulo mortis constituto?

R. Si poenitens sit compos sui, priusquam Sacerdos eum absolvat, debet omnino curare, quantum per circumstantias licuerit, ut recte dispositus sit.

In. Quid igitur agendum ipsi erit, ut huiusmodi poenitens sit recte dispositus?

R. I. Non solum solicitus esse debet de Confessione peccatorum eruenda, sed potissimum de intimo dolore, ac de firmo proposito: qui actus maxime necessarii sunt, & in

in tuto ponendi, etiam antequam fiat Confessio, si forte timeatur, ne mors intra Confessionem contingat.

II. Videat, ut remedia opportuna adhibeat, si eum odium fovere, in occasione proxima versari, restitutioni obnoxium detegat, aut alio malo implicitum, cui peculiaris medicina applicanda sit: nec, uti tempus concedet, muneri suo desit, illud mente retinens, in hoc articulo non ea omnia exigi posse, quae extra illum ante absolutionem exigenda essent.

III. Excitandi quoque, si vacabit, fidei, spei, caritatis actus, qui maxime in mortis articulo sunt exercendi, si praesertim poenitens in vita hisce actibus defuerit.

In. Quomodo se geret simplex Sacerdos cum eiusmodi poenitente, qui habeat censuras reservatas?

R. Iniungere illi debebit, etiam sub iureiurando, ut cessante periculo se Superiori praesentet; alioquin in

in easdem censuras recidet (1).
Praeterea si excommunicatio lata fuit ad instantiam partis laesae, debet ab eo exigere cautionem de satisfaciendo ipsi parti.

In. Quid agendum, si moriturus haereticus, vel schismaticus esset?

R. Disponendus prius esset ad abiurandam ac detestandam haeresim; vel schisma, eliciendique ex eo actus oppositi, atque promissio, quod si convaluerit, sistet se Inquisitori, vel Episcopo, ut plenius erudiatur de iis, quae praestanda sunt a redeuntibus ad Ecclesiae unitatem.

In. Qua forma uti debet in absolvendo poenitente in articulo mortis constituto, & censuris innodato?

R. Si mortis periculum non fuerit ante completam absolutionem, praemittere debet preces, quae in Rituali Romano praescribuntur: si au-

(1) Ita statuit cap. 58. *De sententia excommun.* in *6.*

autem urgeat necessitas, & imminens mortis periculum sit in mora, brevius dicere poterit, hanc formulam adhibendo: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

In. Quare praemittitur absolutio a censuris?

R. Quia censura irretitus Sacramentorum est incapax; unde ut capax fiat Sacramentalis absolutionis, censurarum impedimentum debet removeri.

In. Quomodo se gerere debet Sacerdos cum eo, qui fuit vulneratus, & in mortis articulo est constitutus?

R. Debet primo ei persuadere, ut ex corde ignoscat inimico, offensamque remittat: quod si nolit offensam remittere, absolvere non debet.

In. Quid agere debebit Sacerdos, si accedat ad hominem, qui repentino, & gravi morbo correptus lo-

quelam amiserit, vel non sit compos sui?

R. Si infirmus usu linguae destitutus indicet satis dolorem suum; vel si priusquam rationis usum amitteret, testentur aliqui, ipsum signa poenitentiae exhibuisse, vel Confessionem petiisse; tunc si periculum sit in mora, absolvendus erit, ut in Rituali praecipitur.

In. Quid si doloris, ac dispositionis signa sint dubia?

R. In dubio absolvendus pariter videtur saltem (ut aliqui volunt) sub conditione (1).

In. Verum si nulla omnino signa suppetant, quid Sacerdoti agendum?

R. Distinguendum est: vel enim id evenit iis, qui vitam ex christiana lege duxerunt, ac Sacramenta fre-

(1) De absolutione danda sub conditione in eiusmodi eventu pluribus agit Benedictus XIV. *de Syn. Dioecef.* l. 7. c. 15. Etenim cum Sacramenta instituta sint propter homines, non autem homines conditi propter Sacramenta; in dubio num Sacramentum profuturum sit homini, nec ne, satius videtur Sacramentum, quam animam hominis periculo exponere.

frequenter suscipere consueverunt; vel iis, qui dissolutam flagitiosamque vitam egisse palam noscantur, nullumque poenitentiae signum dederint, aut dare valeant. Si primum, docent complures, hos quoque esse absolvendos, cum anteacta ipsorum vita, & Sacramentorum frequentia praesumtionem pariant eorum propositi ac voluntatis recipiendi Sacramenta in supremo vitae discrimine (1). Si alterum, licet nonnulli putent cum illo etiam indulgentius agendum; alii tamen ne conditionatam quidem absolutionem ei concedendam arbitrantur (2).

(1) Hic maxime valere debet illud Augustini de Catechumeno, qui morbo ita sit oppressus, ut nec petere possit Baptismum, nec ad interrogata respondere. *Etiamsi*, inquit lib. 1. de adulter. coniug. c. 26. n. 3., *voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus iam credidit, non se oportere de corpore exire.*

(2) Lege, quae de eiusmodi sententiis, earum-

In. SUntne impedimenta, quae removeant Clericos ab Ordinum susceptione?

R. Utique: haec autem sunt irregularitates (1), quibus homo inhabilis

rumque momentis plenius differit Benedictus XIV. loco laudato. S. Augustinus in mortis articulo maximam facilitatem adhibendam ratus, baptismum Catechumenis sensu destitutis conferendum credidit, etiamsi retinerent adulterina coniugia. *Quis enim novit*, inquit loco cit., *utrum fortassis adulterinae carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri?* Eamdem vero rationem subdit baptismi, ac reconciliationis poenitentis, seu eius, qui sanus inter poenitentes receptus fuerat; iudicatque, non esse tamen damnandos eos, quibus alia sententia erat, verentibus illa Christi Domini (Matth. 7. 6.) : *Nolite sanctum dare canibus* &c.

(1) Equidem si de nomine irregularitatis sermo sit, non est illud seculo XII. antiquius; nullibi enim legitur praecedentibus seculis usurpatum. Primum adparet apud Innocentium III. in cap. 10. *Non tamen* de renunciat., in cap. 6. de bigam. non ordin., & in cap. 33. de testib. & attest. Ceterum irregularitas ipsa, seu impedimenta Ordinum vetustissima sunt, atque ab ipsa Apostolica aetate constituta, quando scimus, Apostolum Paulum in epist. 1. ad Timoth.

bilis fit ad Ordines fufcipiendos, vel exercendos.

In. Quid eft Irregularitas?

R. Eft impedimentum canonicum, quo quis redditur inhabilis directe ac primario ad Ordines licite recipiendos, & confequenter ad eorum functiones obeundas.

In. Cur dicitur *impedimentum*, non autem poena?

R. Ut diftinguatur a cenfura, quae, ut fupponit culpam, ita & femper eft poena: irregularitas vero ex fe ac generatim culpam non importat, adeoque nec poena dicenda.

In. Cur additur *Canonicum*?

R. Quia eft a canonibus, & Ecclefiae decretis latum; irregularitas enim proprie dicta nufquam incurritur, nifi in cafibus iure ecclefiaftico expreffis.

In. Explica, cur dicatur impedimentum, *quo quis inhabilis redditur di-*

moth. cap. 3., & in epift. ad Titum cap. 1. varias recenfuiffe conditiones, quibus qui praeditus non foret, ad Clerum minime admitteretur.

directe, ac primario ad Ordines licite suscipiendos?

R. Hisce verbis irregularitas discernitur ab excommunicatione, interdicto, suspensione, depositione, & degradatione.

In. Expone cur ita discernatur.

R. I. Discernitur ab excommunicatione, quia per illam fideles primario ac directe privantur communione ceterorum fidelium:

II. per interdictum divinis officiis:

III. per suspensionem, depositionem, & degradationem functionibus Ordinis. Irregularitas vero per se, primario, ac directe impedit non quidem validam, sed licitam Ordinum susceptionem.

In. Curnam subditur *& consequenter ad eorum functiones obeundas?*

R. Quia irregularitas respectu illorum, qui omnes Ordines iam suscepere, secundarium hunc obtinet effectum (1), nimirum impedit susce-

(1) Hunc obtinet secundarium effectum irregularitas, cum sortiri illa nequit effectum prima-

ſceptorum Ordinum exercitium; etenim qui non poteſt Ordines ſuſcipere, multo magis prohibetur ſuſceptis Ordinibus uti.

In. Irregularitas eſtne impedimentum ſuſcipiendae Tonſurae?

R. Utique iuxta communiorem, ac probabiliorem Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam. Huic favet etiam Eccleſiae praxis; quibus omnibus poteſt & ratio ſubnecti, ſcilicet quia irregularis eſt incapax effectuum Tonſurae, quorum unus eſt idoneitas ad Ordines, & beneficia.

In. In dubio debetne quis cenſeri irregularis?

R. In dubio iuris nemo cenſendus irregularis, quia in dubio iuris quilibet pro ſua libertate iudicare poteſt (1).

marium, ad quem primo ac per ſe eſt inſtituta, ſcilicet reddere inhabilem ad Ordines ſuſcipiendos; ut contingit quando quis Ordines iam ſuſcepit.

(1) Ita ex cap. *Cum ſunt partium* 11. de reg.

In. Quandonam eſt dubium iuris?

R. Quando lex Canonica ita eſt obſcura, ut peritiores ſenſum eius haud percipiant, & in eius interpretatione inter ſe diſſideant: vel etiam cum quis dubitat, utrum pro tali caſu, aut culpa a ſe perpetrata ſit impoſita a iure eiuſmodi poena.

In. Quandonam locum habet in irregularitate dubium facti?

R. Cum quis dubitat, num poſuerit actum, cui lex irregularitatem expreſſe imponat; ex. gr. num revera occiderit in bello iuſto &c.

In. Quid dicendum de dubio facti?

R. Iuxta probabiliorem ſententiam in quolibet probabili (1) dubio facti debet quis ſe gerere tanquam irregularem (2).

In.

reg. iur. in 6. Suarez de cenſ. diſp. 40. ſect. 5. n. 15. Sanchez lib. 2. de matrim. cap. 41. quaeſt. 3.

(1) Dixi *probabili dubio*, quia ſi hoc leve fuerit, & merus ſcrupulus, contemni debet.

(2) Id conſtat. ex cap. *Ad audientiam* tit. de homic. voluntar. Clem. III., atque ex cap.

Si-

In. Quomodo dividitur irregularitas?

R. I. In *totalem*, & *partialem* (1):
II. in irregularitatem *ex defectu*, & *ex delicto*.

In. Quotuplex est irregularitatis effectus?

R. Triplex:

I. Impedit susceptionem Ordinis, & Tonsurae Clericalis.

II. Privat usu Ordinum, & omnium qui-

Significasti eod. tit. Innoc. III. Nec refert, quod in utroque canone sermo sit de dubio facti in materia homicidii; nam ratio, qua nituntur Summi Pontifices, est universalis, ac proinde extenditur ad dubium facti in qualibet materia. Hinc debet se gerere tanquam irregularem

I. Qui fuit caussa abortus, & dubitat, an foetus esset animatus:

II. Qui cum aliis hominem percussit, & nescit, an ipse lethale vulnus inflixerit:

III. Medicus, vel Chirurgus incertus, an infirmus ipsius culpa, aut negligentia mortuus, vel mutilatus sit.

(1) Clericus ex. gr. reus homicidii est irregularis irregularitate totali, quia prohibetur Ordines suscipere, & privatur quolibet ipsorum usu: coecitate vero percussus privatur tantum functionibus, quarum capax non est ob coecitatem, estque irregularis irregularitate partiali, quia potest concionari, & confessiones excipere,

quidem, si sit totalis; quorumdam vero, si sit partialis.

III. Inhabilem reddit ad quodlibet beneficium recipiendum, si fuerit totalis, ut collatio sit ipso iure nulla (1).

In. Quid inde infertur?

R. Duo possunt inferri:

I. Quod irregularis tenetur dimittere beneficium in irregularitate praesertim totali (2) obtentum, & fructus inde perceptos restituere:

II. Quod ob irregularitatem beneficio iam obtento supervenientem potest beneficiatus privari beneficio; sed actu, & de facto non privatur, quia nemo tenetur spoliare sei-

(1) Colligitur id ex cap. *Si celebrat* tit. de Clerico excomm. Et ratio per se patet; nam beneficium datur propter officium: atqui irregularitate ligatus Ordinis officio fungi vetatur: ergo recipere nequit beneficium natura sua ordinatum ad officium.

(2) Dixi *praesertim totali*, quia Theologi complures in ea fuerunt sententia, quod irregularitas partialis inhabilem non reddat ad beneficium, cuius munia irregularis potest obire. Vid. Suarez disp. 40. sect. 2. n. 38.

seipsum re, quam iusto titulo acquisivit ante iudicis sententiam.

In. Irregularitas privatne iurisdictionis beneficio?

R. Irregularitas totalis aut praecedit, aut consequitur beneficii adeptionem: quae praecedit, inhabilem reddit ad exercitium iurisdictionis ordinariae huic beneficio annexae, quia iurisdictio ordinaria fundatur in beneficio, ad quod irregularis inhabilis est (1): quae autem consequitur, ordinariae iurisdictionis usu minime privat, quia, ut diximus, non privat ipso beneficio.

In. At quid, si iurisdictio exerceri nequeat sine usu Ordinis; poteritne exerceri eiusmodi iurisdictio?

R. Minime, ut in Sacramento Poenitentiae, & Benedictione nuptiarum; quia irregularitas impedit usum Ordinis (2).

In.

(1) Incapax tamen non est iurisdictionis delegatae, quia talis iurisdictio non confertur ratione beneficii.

(2) Hinc Parochus, qui irregularitatem incur-

In. Quam poenam incurrit, qui violat irregularitatem, scilicet celebrat, & Sacramenta administrat?

R. Peccat graviter, nisi necessitas excuset (1); sed nulla poena in iure adversus irregularem statuitur.

In. Quid est irregularitas totalis?

R. Est illa, quae perpetuo excludit a quovis Ordine suscipiendo, vel exercendo; ut homicidii, & bigamiae irregularitas.

In. Quid est irregularitas partialis?

R. Ea est, quae vel non durat in perpetuum, vel non omni ministerio privat.

In.

currit, licite potest exercere ea, quae sunt merae iurisdictionis, nimirum delegare ad Sacramenta suis Parochianis ministranda: non potest tamen ipsemet illa ministrare, quia in iis iurisdictionis actibus includitur usus Ordinis, quo per irregularitatem privatur.

(1) Si enim occulta sit irregularitas, & Parochus ex. gr. nequeat sine infamia, aut scandalo abstinere a Sacrificio Missae, licite potest celebrare. In hypothesi tamen, quod dispensatio esset Summo Pontifici reservata, & haec nisi tardius obtineri non posset, ad Episcopum sive per se, sive per Confessarium confugere deberet, ut cum eius licentia interim munere suo fungi posset.

In. Quid eſt irregularitas ex defectu?

R. Eſt ea, quae fundatur in aliquo defectu abſque propria culpa.

In. Quot ſunt irregularitatis ſpecies ex defectu provenientis?

R. Sunt novem:

I. Ex defectu Animi.
II. Corporis.
III. Natalium.
IV. Aetatis.
V. Libertatis.
VI. Obligationis.
VII. Sacramenti.
VIII. Bonae famae.
IX. Lenitatis.

EX DEFECTU ANIMI.

In. Quaenam ſunt irregularitates ex defectu *Animi?*

R. Tres numerantur:

I. ob defectum Rationis.
II. Scientiae.
III. Fidei.

In. Quinam arcentur ab Ordinibus ob defectum *rationis?*

R. Arcentur pueri, amentes, & furio-

ſi,

si (1), energumeni (2), epileptici (3); quibus enim domestica, civiliaque negotia ne minima quidem committuntur, multo minus Divinorum Mysteriorum celebratio committenda.

In. Defectus *scientiae* paritne veram irregularitatem?

R. Certum est, defectum scientiae esse impedimentum suscipiendorum Ordinum, in quo ne Summus quidem Pontifex dispensare potest, cum sit intrinsece malum, ut quis officium suscipiat, cui aptus non est.

In.

(1) De furiosis habetur cap. *Maritum* dist. 33.

(2) Ex cap. *Communiter*, cap. *Clerici*, cap. *Usque adeo* cit. dist. 33. & can. 13. Conc. Tolet. XI. Energumeni, seu arreptitii, qui & lunatici nonnunquam dicuntur, ii sunt, qui a daemone vexantur, seu corripiuntur, & de iis mentio fit apud S. Matth. c. 4.

(3) Epileptici ii sunt, qui morbo comitiali & sontico ita subito corripiuntur, ut statim interclusis sensibus cadant quasi exanimes: unde caducum malum dictum fuit; iique, non secus ac amentes, & energumeni, per annum probandi, ut in susceptis Ordinibus possint ministrare; vel si dubium, per triginta tantum dies, vel ut alii malunt, octoginta.

In. Quinam sunt irregulares ex defectu *Fidei?*

R. Haereticorum filii (1); nam patres eorum non ex defectu, sed ex delicto irregulares sunt: Neophyti (2); hos enim ab Ordinibus arcet D. Paulus (3).

EX DEFECTU CORPORIS.

In. Defectus *corporis* inducuntne irregularitatem?

R. Non inducebant primis Ecclesiae seculis, modo defectus illi non essent ex delicto. Verum seculis sequentibus, scilicet post seculum IV. Ecclesia prohibuit, ne quis cum hu-

(1) Ex cap. *Quicumque* §. *haeretici* tit. de haereticis in VI.

(2) Neophyti ii dicuntur, I. qui recens ad fidem convertuntur ab Idololatria, Iudaismo, & Mahumetismo, can. *Qui in aliquo* dist. 58.; II. qui in provectam aetatem baptismum differebant, atque in infirmitate dumtaxat recipiebant in lecto, (unde & *Clinici* dicebantur) ex cap. *Si quis* dist. 57.; III. qui a statu laicorum ad Ordines statim, & absque ullo temporis intervallo aspirabant, ex cap. *Sicut* dist. 48.

(3) *Non Neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli* Apost. 1. ad Timoth. 3. *6.*

huiusmodi defectibus ad Ordines promoveretur (1).

In. Quotuplex est defectus corporis, qui irregularitatem inducit?

R. Quadruplex; irregularis enim ex defectu corporis est,

I. Qui inhabilis redditur ad munus Sacerdotale, uti manu mutilatus (2); pollice, aut indice destitutus (3).

II. Defectus, qui horrorem, & scandalum ingenerat, ut leprae macula (4).

III. Defectus, qui etsi inhabilem non reddat ad functiones sacras, efficit ta-

(1) Defectum corporis, ex quo irregularis aliquis dicitur, hoc in loco intelligimus, cum quis ea corporis adfectione laborat sine culpa, factove suo, qua ne in sacris officiis honeste, ac decore ministret, impediatur. Et quidem hoc in Mosaica divina lege fundamentum habet, Levitic. cap. 21.; deinde legibus Ecclesiasticis fuit expresse constitutum, ac confirmatum can. 5. dist. 33. can. 1. dist. 36. can. 1. 3. dist. 55.

(2) Ita expresse habetur cap. *Exposuisti* tit. de corpore vitiatis.

(3) Cap. *Qui partem*, & cap. *Labor* dist. 55.

(4) Cap. *De Rectoribus* tit. de Cleric. aegrotante. *Dicimus*, inquit Clemens III., *quod pro scandalo, & abominatione populi ab administrationis debet officio removeri*.

tamen, ut cum nimia difficultate, & indecenter peragantur; ut si quis habeat partem pollicis, aut indicis amputatam, ita ut impediatur decenter frangere, & tractare Eucharistiam. Item qui caret lumine oculi sinistri, ita ut non possit commode per oculum dexterum conspicere librum sine indecora faciei ad populum conversione.

IV. Defectus, qui insignem parit deformitatem. Hinc irregularis est, qui caret oculo sive dextro, sive sinistro (1), naso, pede; vel ita debilis est pedibus, ut sine baculo ad altare stare nequeat; qui ita surdus est, ut nullo modo possit audire; qui nodum linguae ita patitur, ut verbum integrum vix possit exprimere.

EX DEFECTU NATALIUM.

In. Quinam sunt irregulares ex defectu *natalium*?

R. Omnes illegitimi, spurii, & nothi (2).

In.

(1) Cap. *Si Evangelica* dist. 55.

(2) Cap. *Per venerabilem* tit. Qui filii sint le-

In. Qua de caussa impedimentum hoc inductum fuit in Ecclesia?

R. Huius ponendi impedimenti caussa multiplex Maioribus fuit.

I. Petitur ex Ordinis dignitate, quam non leviter origo vitiosa deturpat.

II. Fuit periculum incontinentiae, in quam spurium filium patris exemplo proclivem futurum, haud levis est metus; ut enim vulgari iactatur proverbio: *Saepe solet similis filius esse patri*.

III. Fuit quorumdam Presbyterorum incontinentiam reprimendi necessitas.

IV. Fuit periculum successionis quasi haereditariae in Ministeria Ecclesiastica (1).

In.

legitimi; & cap. *Innotuit* de electione; & ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 5. Per ingressum in Religionem approbatam tollitur irregularitas ex defectu natalium exorta; idque quantum ad Ordines, non quantum ad Praelationem. Vid. lib. 9. de Syn. Dioec. Bened. XIV. cap. 4. n. 5.

(1) In hac irregularitate Episcopus dispensare potest ad Minores Ordines, & unum simplex

In. Illegitimi fueruntne semper irregulares?

R. Seculo dumtaxat XI. Summorum Pontificum, & Conciliorum auctoritate, de spuriis ad sacram Ordinationem non admittendis, lex in tota Ecclesia latina praevaluit (1).

EX DEFECTU AETATIS.

In. Quinam censentur irregulares ex defectu *aetatis*?

R. I. Pueri, qui ab Ordinum susceptione iure canonico excluduntur. Perperam itaque infantibus ordinatio conferretur; quamquam vero hoc illegitime fieret, validam tamen consecrationem futuram, communis Theologorum, uno excepto Durando, doctrina est. Usus siquidem rationis licet ex praecepto ad Ordines suscipiendos praerequiratur, non tamen ad valorem Sacramenti exigitur (2).

II.

plex beneficium ex cap. *de filiis Presbyterorum* in VI. Ad Maiores autem, & ad Beneficium Curatum solus Papa; ut habetur in eodem capite.

(1) Id ex Innoc. III. Epist. 118. lib. 4. eruitur.

(2) Vid. S. Thom. supp. quaest. 39. art. 2. in C.

II. Ii, qui licet aetate provecti, iuniores in fide sunt, quia recenter ex infidelitate conversi.

EX DEFECTU LIBERTATIS.

In. Quinam sunt irregulares ex defectu *libertatis*?

R. I. Coniugati, qui promoveri ad Ordines non possunt, nisi consentiente uxore, cui sunt alligati; quae si consentiat, debet vel Religionem solemniter profiteri, vel de consensu Episcopi castitatis perpetuo servandae votum emittere.

II. Olim irregulares censebantur servi, vulgo mancipia, sed hodie haec irregularitas locum non habet, cum usus servorum desierit.

EX DEFECTU OBLIGATIONIS.

In. Quinam intelliguntur irregulares ex defectu *obligationis*?

R. Duo hominum genera hanc irregularitatem contrahunt; nempe curiales (1), & obligati ad ratiocinia (2).

In.

(1) De istis mentio fit apud Gratianum cap. *Praeterea* dist. 51.

(2) De iis est tit. 19. in lib. 1. Decretalium Gregorii IX.

In. Quid intelligitur nomine Curialium?

R. Curialis nomen late patet. Sed Curialis, in quem dirigitur Canonum prohibitio, ille est, qui obligatur ad reddenda ratiocinia (1). Talisque dicitur Procurator, Actor, Executor, Tutor, Curator, & generatim omnes obligati ad ratiocinia propter administrationem publicam, vel privatam ( ). Hi omnes non possunt ad Ordines promoveri, nisi redditis rationibus, & deposita illarum obligatione.

EX DEFECTU SACRAMENTI.

In. Unde oritur irregularitas ex defectu *Sacramenti*?

R. Latissime irregularitas ista effunditur, ad defectum nempe vel Baptismi, vel Confirmationis, vel Ordinis, vel Matrimonii.

In. Unde ex defectu Baptismi?

R. Iure divino a sacro ministerio arcetur, qui nondum baptizatus est: &

(1) C. unico de Obligat. ad rat.
(2) Can. Praecipimus 34. dist.

& si erga eum attentata fuerit ordinatio, nullam & irritam esse a Conciliis, & Summis Pontificibus saepe declaratum est (1).

In. Cur defectus Confirmationis inducit irregularitatem?

R. Cum Confirmatio sit Sacramentum perfectionis vitae Christianae, ideo iure Ecclesiastico constitutum est, neminem ad Clericatus ordinem admittendum, nisi qui perfecte Christianus foret (2).

In. Ex quo invecta fuit irregularitas ex defectu Ordinis?

R.

(1) *Nihil potest aliquis recipere*, ait S. Thomas in 4. sent. dist. 24. q. 1. art. 2. quaestiuncula 3. *cuius receptivam potentiam non habet. Per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum suscipere potest; & sic character Ordinis baptismalem characterem praesupponit.*

(2) Hinc Concilium Trid. legem antiquam renovans inquit sess. 23. in Decr. de Ref. cap. 4. *Prima tonsura non initientur, qui Confirmationis Sacramentum non susceperint*. Valida tamen, & rata hominis non confirmati ordinatio est, quia Confirmatio non est de necessitate Sacramenti, bene tamen de congruitate, ut ait S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. quaestiunc. 4.

R. Cum inferiores Ordines auctoritate Ecclesiae progressu temporis fuerint instituti: eadem auctoritate sancitum, neminem ad superiorem Ordinem admittendum, quin minores antea suscepisset. Eorum itaque defectus iure Ecclesiastico irregularitatem inducit (1).

In. Unde oritur irregularitas ex defectu Matrimonii?

R. Irregularis ex defectu Matrimonii quis evadit, non ideo quia nuptias non contraxit, sed quia saepe repetitis nuptiis in aliquam incontinentiae suspicionem incurrit; & quia secundae nuptiae perfecte non significant, neque repraesentant coniunctionem Christi cum Ecclesia, quae unius est cum una (2).

In. Quotuplex est bigamia, per quam contrahitur irregularitas?

R.

(1) Huc pertinent, omissis aliis, Concilii Trid. decreta sess. 23., quibus sancitum est, minores Ordines esse veluti gradus ad Sacerdotium, nec nisi per temporum interstitia debere conferri.

(2) Ita S. Thomas in 4. dist. 27. q. 3. art. 1. quaestiunc. 1.

R. Triplex: *vera*, *interpretativa*, ac *similitudinaria*.

In. Quaenam est bigamia vera?

R. Est ea, qua quis duas uxores legitime, ac successive ducit (1).

In. Quaenam est bigamia interpretativa?

R. Est ea, qua quis ex iuris interpretatione habetur ut bigamus, licet non sit vere bigamus, utpote qui multas quidem uxores habuit, sed non veras (2).

In. Quae tandem est bigamia similitudinaria?

R. Est illa, qua quis post solemne ca-

(1) Bigamos istos ab Ordinum susceptione, & exequutione arceri, constat ex cap. *Super eo* de bigamis non ordinandis.

(2) Qui duo matrimonia cum impedimento dirimente contraxit, vel saltem alterum, is bigamus interpretative censetur, & irregularis est ex cap. *Nuper a nobis* de bigam. non ordinand.: idem dicendum de eo, qui vel cum vidua contraxit, vel ab alio corruptam duxit, vel cum virgine quidem nupsit, sed quae post nuptias cum alio est adulterata, si tamen post adulterium eam cognovit, non vero si reliquit intactam. Haec colliguntur ex capp. *Curandam*, *Si cuius*, *Si laici* apud Gratian. dist. 34.

castitatis votum in Religione approbata emissum, vel post susceptum sacrum Ordinem contrahit matrimonium sive valide ex Summi Pontificis dispensatione, sive invalide (1).

In. Quisnam potest dispensare ab hoc impedimento?

R. Solus Pontifex, ut docent omnes Doctores (2).

EX DEFECTU FAMAE.

In. Quinam arcentur ab Ordinibus ex defectu famae?

R. Qui publica infamia laborant (3).

In. Quotuplex est infamia?

R. Duplex: alia *iuris*, alia *facti*.

In. Quid est iuris infamia?

M R.

(1) Bigamia haec inducit vel ipsa irregularitatem, ut constat ex cap. *Quotquot* 27. quaest. 1. ex cap. *Nuper* de bigamis non ordinandis, quia per huiusmodi matrimonium carnale violatur spirituale, quod praecessit.

(2) Episcopus potest dumtaxat dispensare pro suscipiendis minoribus Ordinibus, ut superius quoque adnotavi.

(3) Infamia publica laborantes ad Ordines suscipiendos, vel exercendos sunt irregulares iuxta Regulam iuris penultimam in VI.: *Infamibus portae non pateant dignitatum*.

R. Est ea, quae oritur ex iure, seu lege civili, aut canonica, quae infamiae notam certis criminibus, aut officiis minus honestis inurit.

In. Quinam eiusmodi iuris infamia laborant?

R. Usurarii, histriones, comoedi, satellites, atque ii, qui ex Iudicis sententia ad poenam infamantem, puta ad triremes damnati fuerunt (1).

In. Quid est infamia facti?

R. Est ea, quae contrahitur ex gravi, ac notorio delicto, ob quod reus apud graves, honestosque viros male audit (2).

EX DEFECTU LENITATIS.

In. Quanam de caussa defectum hunc irregularitatem parere voluit Ecclesia?

R. Quia Clericos maxime decet mites esse, ac mansuetos, qui ministri sunt incruentae, ac caelestis Victimae, quae oravit pro suis inter-

(1) Vid. Ius Canonic. caus. 6. q. 1. cap. *Infames*.

(2) Id colligitur ex cap. *Licet* 1. de probationibus.

terfectoribus, nedum ultrices ex iis poenas repetiit.

In. Quinam contrahunt hanc irregularitatem?

R. Homo baptizatus, qui voluntarie, & proxime ex officio concurrit sive iuste, sive iniuste ad mortem, vel mutilationem hominis; quales sunt iudices, notarii, advocati, testes, apparitores, carnifices, milites, chirurgi (1).

In. Quid requiritur, ut haec contrahatur?

R. Necesse est, ut homo concurrat ad mortem, vel mutilationem alterius

I. *physice* (2), vel *moraliter* (3), influendo scilicet vel *positive*, ut inquiunt, vel *negative* ex officio:

 II.

(1) Id habetur ex cap. *Si quis viduam* dist. 50., & cap. *Aliquantos* dist. 51.

(2) Physice concurrit carnifex, miles occidendo, vel mutilando.

(3) Moraliter, & positive influit, qui consulit, mandat, consentit, adiuvat: negative, qui non obstat, cum ex officio, & iustitia tenetur, ut chirurgus, medicus, quorum negligentia aliqui pereunt.

II. *voluntarie* (1):

III. *proxime* (2):

IV. *actu* (3).

In. Quinam censentur ad mortem, seu mutilationem *proxime* concurrere?

R. I. Accusator, qui petit vindictam, Advocatus, seu Procurator, qui accusatorem iuvat:

II. Testes:

III. Scriba, seu Notarius:

IV. Iudex, qui sententiam pronuntiat:

V. Carnifex, qui illam exequutioni mandat, iique omnes, qui ipsi cooperantur.

In. Quotuplex est irregularitas ex delicto proveniens?

R. Quadruplex a Theologis, & Cano-

(1) Hinc qui coactus in vitae suae defensionem occidat aggressorem, vel mutilet cum moderamine inculpatae tutelae, non fit irregularis.

(2) Qui remote tantum concurrit, ut armorum artifex, irregularis non fit, nisi arma venderet iis, quos certo scit, duello mox conflicturos.

(3) Si itaque adesset dumtaxat prava voluntas sine actuali exequutione, irregularitas minime contraheretur.

noniſtis ſolet diſtingui; oritur

I. ex delicto haereſis:

II. ex iteratione Baptiſmi:

III. ex indebita ſuſceptione, vel uſu Ordinis:

IV. ex homicidio.

In. Quinam ex haereſis delicto irregulares fiunt?

R. Iure communi tam haeretici, quam eorum fautores, & filii uſque ad ſecundam generationem (1) ſunt irregulares; ſicuti quoque apoſtatae, ſchiſmatici, eorumque fautores, ac defenſores (2).

In. Quinam fiunt irregulares ex iteratione Baptiſmi?

R. Qui ſcienter rebaptizat (3), aut rebaptizatur (4), vel qui extra caſum

(1) Ex cap. *Quicumque* §. *haeretici* tit. de haereticis in VI.

(2) Ex cap. *Statutum* tit. eod. in VI.

(3) Id colligitur ex cap. *Ex litterarum*, quod licet de Acolytho ſolum miniſtrante ex officio loquatur, rebaptizantem a fortiori comprehendere cenſetur. Haec tamen irregularitas ad iterationem Confirmationis, aut Ordinis non debet extendi, cum Iura altum de hoc ſilentium habeant.

(4) Patet id ex cap. *Qui bis* de Conſecr. diſt. 4.

ſum neceſſitatis libere, ac ſcienter ab haeretico baptiſmum recepit (1).

In. Ex indebita Ordinis ſuſceptione, vel uſu quinam fiunt irregulares?

R. I. Qui furtive ſuſcipit Ordines, nimirum qui non examinatus, vel non admiſſus, vel alio pro ſe ad ſubeundum examen ſubrogato doloſe ſe ingerit inter ordinandos (2).

II. Qui poſt contractum matrimonium, licet non conſummatum, invita uxore ordinatur (3).

III. Qui cum excommunicatione maiore ſuſcipit Ordinem ſacrum (4).

IV. Qui exercet ſolemniter actum proprium Ordinis, quem non habet; ut ſi ſimplex Clericus baptiſmum ſolemniter adminiſtret, vel ſi in minoribus conſtitutus Epiſtolam canat cum manipulo (5).

V. Qui ligatus excommunicatione ma-

(1) Cap. *Eos* de Conſecr. diſt. 4.
(2) Tit. *De eo, qui furtive* &c.
(3) Extrav. *Antiquae* de voto.
(4) Ex cap. 23. de ſent. excommunic.
(5) Ex cap. 1. & 2. tit. de Cler. non ordinato miniſtrante.

maiore etiam occulta, vel suspensione, vel interdicto exercet actum proprium Ordinis sacri, quo est insignitus (1).

VI. Tandem qui celebrat in loco interdicto (2).

In. Quandonam contrahitur irregularitas ex homicidio, vel mutilatione?

R. Quando utrumque est voluntarie (3), atque iniuste patratum, sive physice, sive moraliter, mandato nempe, consilio, precibus, auxilio, favore; vel etiam negativa cooperatione, non impediendo, cum ex iustitia quis tenetur impedire (4).

In.

(1) Constat ex cap. 1. & cap. 20. de sent. excommunic. in VI. Idem de exercitio ordinum minorum docet Navarrus adfirmans esse communem, & Fagnanus id probat in cap. *Si quis Presbyter*.

(2) Id habetur cap. 18. de sent. excommunic. in VI.

(3) Homicidium voluntarium in sensu canonum illud est, quod in se directe ab aliquo volitum fuit, vel in caussa ita propinqua, ut moraliter impossibile sit, eum velle, & non velle homicidium. Quod si plures communi consilio invadant, omnes fiunt irregulares, licet unus percusserit.

(4) Id patet ex dist. 50., & ex tit. de homicid., & de sent. excommunic.

In. At si homicidium fuerit casuale, contrahiturne irregularitas?

R. Contrahitur quidem, quando est casuale culpabile; secus si fuerit inculpabile (1).

In. Quandonam dici, & esse poterit casuale culpabile?

R. Cum quis nec necem, nec mutilationem intendit, nec sequuturam praevidit; sed vel praevidere potuit, vel debitam diligentiam non adhibuit, ne accideret; vel dedit operam rei illicitae, ac periculosae (2), ex qua mors, aut mutilatio sequuta est, quantamcumque adhibuerit aliunde diligentiam (3).

In.

(1) Hoc habetur ex cap. 9. de homicid.

(2) Iuxta varios non contrahitur ob homicidium sequutum ex re illicita, sed & nullatenus periculosa, modo debita diligentia adhibita fuerit; tunc enim nullo pacto est voluntarium, ne in caussa quidem, utpote nullum eius periculum probabile deferente. Alii tamen putant, contrahi ob mortem alterius ex quavis illicita actione sequutam, probantque ex variis canonum textibus; unde tutius est dispensationem petere.

(3) Id expresse habetur tit. de homicid. volunt., vel casuali.

In. Quibus mediis tolluntur irregularitates?

R. I. Irregularitates omnes, quae ex delictis proveniunt, tolluntur per baptismum.

II. Irregularitas ex defectu natalium tollitur per solemnem Professionem in Religione approbata; vel per subsequens matrimonium parentum, quo proles a iure legitima reputatur, dummodo tamen ex adulterio non fuerit procreata (1).

III. Irregularitates omnes, quae proveniunt ex morbo, vel ex defectu corporis, vel aetatis, tolluntur per cessationem, vel ablationem caussae (2): quemadmodum & illa tollitur, quae ex delicto nascitur infamiam afferente meri facti, si subsequens publica emendatio infamiam deleat.

IV. Per dispensationem a summo Ponti-

tifi-

(1) Matrimonium subsequens legitimat prolem antea genitam, non tamen ex adulterio. Bened. XIV. Const. 25. incip. *Satis vobis*.

(2) Argumento cap. ultim. *De temporibus Ordinationum*; cap. *Neophytus* dist. 61.

tifice concessam tollitur quaecumque irregularitas, quae per se Ordinationem irritam non reddat (1).

F I N I S.

(1) Clementin. *Ne Romani* de elect., & cap. *sunt quidam 6.* causs. 25. quaest. 1. Episcopi autem possunt dispensare suos subditos ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta tamen illa, quae oritur ex homicidio voluntario, & deliberate iniusto, uti declarat Conc. Trid. sess. 24. de ref. cap. 6., atque haeresi. S. Cong. Conc. 21. Aug. 1609., 7. Jul. 1612., & 5. Nov. 1644. apud Del Bene.

INDEX.